



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Tractatvs Decimvs Tertivs. De resolutione extrinseca fidei in motiua  
credibilitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

propter quod unumquodque tale, & illud magis, aliqui in presenti materia intelligunt negativè, ita vt sensus sit; non possumus firmius assentiri conclusioni, quam principiis, non autem positivè, vt sensus sit, necesse est, vt certitudine positivè maiori assentiamur principiis, seu præmissis, quam conclusioni.

11. Ad 2. concedo maiorem, & nego minorem. Per fidem enim habemus certitudinem supernaturalem de hoc, quod Deus revelet mysteria revelatione essentialiter connexa cum veritate mysteriorum; sed bonitas illationis consistit in hoc, vt veritas præmissarum sit essentialiter connexa cum veritate conclusionis; ergo per fidem certificamur de bonitate illationis; & quia hoc complexum, *Deus revelet mysteria revelatione essentialiter connexa cum veritate mysteriorum*, est obscurum, ideo per fidem obscuram in complexo obscuro certificamur de bonitate illationis, quæ seorsim considerata est evidens. Porro non repugnat, vt dum assentimur complexo obscuro, in tali complexo assentiamur veritati, quæ seorsim sit evidens, vt patet pluribus exemplis. Nam dum assentior huic veritati complexæ obscuræ, *Deus est trinus, & vnus*, assentior huic veritati, *Deus est vnus*, quæ seorsim est evidens; dum per fidem obscuram credo me posse consequi beatitudinem supernaturalem, assentior huic veritati, ego existo, quæ seorsim mihi est evidentissima. Sed hæc quæstione 132, magis explicabuntur.

12. Ex hæcenus dictis in hoc tractatu, explicari potest actus fidei, eiusque resolutio in sua motiva intrinseca. Vt eliciam actum fidei, quo credam e. g. Deum esse trinum, & vnum, primò debet mihi proponi Deum esse summam veritatem revelantem se esse trinum, & vnum, & exigentem à me, vt id summè credam, ac proindè exercitè revelantem se esse summam, & infallibilem veritatem. Secundo per motiva credibilitatis, & per internam illuminationem Spiritus Sancti debet mihi evidenter persuaderi, me prudenter posse, ac debere firmissimè credere Deum esse summam veritatem, revelantem se esse trinum, & vnum, & exercitè revelantem se esse summè veracem, & ex hoc motivo posse, ac debere credere Deum esse trinum, & vnum. Tertio ex motivo credibilitatis sequitur iudicium evidens, quo dico: ego prudenter possum, ac debeo firmissimè credere, Deum esse summam veritatem, revelantem se esse trinum, & vnum, & exercitè revelantem se esse summè veracem, & ex hoc motivo posse, ac debere firmissimè credere Deum esse trinum, & vnum. Quarto ex hoc iudicio sequitur libera voluntas credendi, qua dico: quia prudenter possum, ac debeo firmissimè credere Deum esse summam veritatem revelantem se esse trinum, & vnum, & exercitè revelantem se esse summè veracem, & ex hoc motivo possum, ac debeo firmissimè credere, Deum esse trinum, & vnum, volo totum hoc firmissimè credere.

Quinto ex hoc actu voluntatis, concurrente Deo per auxilia gratiæ, sequitur in intellectu actus fidei imperatus, quo firmissimè dico: *Deus est summa veritas revelans se esse trinum, & vnum, & exercitè revelans se esse summè veracem, & quia hoc non potest esse verum, quin Deus sit trinus, & vnus, Deus est trinus, & vnus*. Obiectum formale, ac motivum intrinsecum huius actus est hæc veritas per se credibilis, *Deus est summa veritas revelans se esse trinum, & vnum, & exercitè revelans se esse summè veracem*. Obiectum materiale est hæc veritas non per se credibilis, *Deus est trinus, & vnus*. Motivum assentiendi, & obiectum formale apparetur connexum cum materiali, vt non possit esse verum obiectum formale, quin sit verum materiale. Hic actus indivisibilis est syllogismus quidam virtualis, quia virtualiter continet istum syllogismum formalem constantem ex duabus præmissis, & conclusionem realiter distinctis: *Deus est summa veritas ac proindè quicquid dicit est verum; sed Deus dicit se esse trinum, & vnum; ergo Deus est trinus, & vnus*. Actus voluntatis, quo volumus credere, & iudicium de prudenti credibilitate sunt actus necessariò præsuppositi ad fidem, vt pote prudentem, voluntariam, & liberam, ac motiva, ex quibus moventur tales actus, sunt motiva solum extrinseca fidei. Ideo explicata resolutione fidei in sua motiva intrinseca, debemus agere de resolutione fidei in motiva extrinseca, hoc est in motiva credibilitatis, per quæ probamus nos posse, ac debere prudenter firmissimè credere, Deum revelasse nostram religionem, eiusque mysteria: quod iam præstabitur tractatu sequenti.

## TRACTATUS XIII

### De resolutione extrinseca fidei in motiva credibilitatis.

#### QVAESTIO CXXII.

*Utrum sit evidens religionem christianam, & catholicam esse prudenter credibilem, & credendam?*



1. IDETVR non esse evidens, primò quia quod est evidens, à nemine potest negari; sed omnes infideles negant christianam religionem esse prudenter credibilem, ac credendam, ac dicunt imprudenter, ac stultè à nobis credi; ergo &c.

2. Secundo non est evidens illam religionem

nem esse prudenter credibilem, & credendam, cuius doctrinam probabile est esse falsam; sed probabile est falsam esse doctrinam religionis christianæ, ac catholicæ; ergo &c. Probatur minor: nam probabile est quod probatur argumentis magni ponderis, & habentibus magnam vim trahendi, & inclinandi intellectum ad assensum; sed falsitas doctrinæ christianæ, ac catholicæ probatur argumentis magni ponderis, & habentibus magnam vim trahendi, & inclinandi intellectum ad assensum; ergo &c. Probatur minor: nam argumenta probantia Deum non esset trinum, & unum; Verbum non esse incarnatum; Christum crucifixum non esse Deum; eundem Christum non esse in Eucharistia; non dari peccatum originale &c. sunt magni ponderis, & habent magnam vim trahendi, & inclinandi intellectum ad assensum; ergo &c. Confirmatur; nam talia argumenta sunt maioris ponderis, & habent maiorem vim trahendi, & inclinandi intellectum ad assensum, quam argumenta, quibus redduntur probabiles opiniones philosophicæ, & theologicæ, quæ propter talia argumenta censentur probabiles; ergo &c.

3. Respondeo ex dictis motiua extrinseca fidei, seu motiua credibilitatis esse, per quæ probatur religionem christianam, & catholicam esse prudenter credibilem, & credendam. Dicuntur autem motiua extrinseca fidei, quia ijs non nititur immediatè actus fidei: is enim nititur solum testimonio Dei reuelantis: sed nititur iudicium prærequisitum ad fidem, quo iudicamus religionem christianam, & catholicam esse prudenter credibilem, & credendam. Ut igitur agamus de motiuis credibilitatis, primò hac quæstione examinabimus, vtrum probetur evidenter religionem christianam, & catholicam esse prudenter credibilem, & credendam: deinde quæstionibus sequentibus afferemus motiua, & argumenta, quibus hoc probatur & simul ostendemus omnes alias sectas non posse prudenter credi, ac proinde grauissimè peccare eos, qui relicta, vel non acceptata religione christiana, & catholica, sequuntur alias sectas.

4. Dicendum igitur; evidens est religionem christianam, & catholicam esse prudenter credibilem, & credendam.

5. Probatur primò ex Scriptura. Nam Pl. 92. dicitur, *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: sed testimonia etiam humana non sunt credibilia nimis, hoc est non habent maximam quamdam credibilitatem, cum non est evidens, quod propter talia testimonia possumus, & debemus credere ea, quæ testantur; ex.gr. testimonia, quibus aliqui testantur reum accusatum commisisse homicidium, non sunt nimis, hoc est maximè credibilia, cum non est evidens, quod iudex debet, ac potest prudenter credere reum commisisse homicidium, cumque condem-

nare; ergo &c. Rursus Io. 15. Christus dicit: *si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo: & paulo post, si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; sed si non esset evidens, quod possumus, ac debemus credere, ipsa inevidentia obligationis excusaret nos à credendo; possemus enim suspendere iudicium, quo iudicamus nos obligari ad credendum: suspensio autem hoc iudicio, suspenderetur obligatio credendi, ut pote quæ si sit proxima, non potest dari sine tali iudicio; ergo &c. Marci ultimo dicitur *qui non crediderit, condemnabitur*; ergo qui non credit, peccat, & meretur condemnationem; sed si non esset evidens, quod possumus, ac debemus credere, possemus non credendo, non peccare, ac non mereri condemnationem; ergo &c. Ad Hebr. 2. veritas nostræ religionis dicitur à Deo confirmata signis, & portentis; Marci ultimo prædicatione Euangelij dicitur facta fuisse, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis: sed testis non tatis suo testimonio confirmat aliquid, cum non reddit evidens rem, quam testatur, posse ac debere prudenter credi; ergo &c.

6. Probatur secundò ex Patribus, qui dicunt Ecclesiam catholicam Matth. 5. fuisse significatam per civitatem supra montem positam, quæ nequit abscondi; Danielis 2. per montem, qui implevit uniuersam terram, ac proinde non potest in oculos non incurrere; & lib. 13. contra Faustum dicit: *clausis oculis offenditis montem*: & libro de vera religione, cap. 2. dicit: *Christianis temporibus, quamquam religio sit potissimum tenenda, quæ ad veritatem, & beatitudinem via sit, non est dubitandum*. Idem colligitur ex alijs Patribus. Chryostomus oratione, quod Christus sit Deus, concludit: *nullus itaque his contradixerit, nisi qui valde insanus, & totus stupidus sit, humanoque sensu priuatus*: Arnobius lib. 2. contra gentes dicit: *incredulum genus humanom doctrinæ Christi nunquam fuisset consensurum, nisi aperta res esset, & luce ipsa, ut dicitur, clarior*: Origenes hom. 30. in Matth. dicit: *Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem*: Sapientia 6. dicitur: *clara est sapientia, & quæ nunquam marcescit, ac facile videtur ab his, qui querant eam*: sed hæc ostendunt evidens esse, quod nostra religio sit prudenter credibilis, & credenda; ergo &c. Sanctis Patribus accedunt S. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 4. ad. 4. & omnes Theologi: ideoque Suarius disp. 4. de fide, sect. 3. dicit, rem esse, de qua nullus catholicus potest dubitare, & Amicus probabile censet esse de fide, quod detur evidens credibilitas nostræ religionis.

7. Probatur tertio rationibus, quæ afferentur quæstionibus seqq.

8. Ad 1. distinguo maiorem: quod est evidens, à nemine potest negari, dum sufficienter considerantur, & penetrantur motiua

ua, concedo; dum non sufficienter considerantur, & penetrantur motiua, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Multa sunt ita euidencia, vt non possimus illa negare, si consideremus, & penetremus motiua, & rationes, quibus ostenduntur; possimus negare, si non consideremus motiua: E. G. multa, quæ mathematicè demonstrantur, negare non possumus, si consideremus, & penetremus demonstrationes, sed possumus negare, si nolumus audire, & considerare demonstrationes; ergo non est mirum, quod infideles, si nolint considerare rationes, & motiua, quibus probatur religionem Christianam esse prudenter credibilem, & credendam, possint id negare, ac de facto negent. At quando considerant, & penetrant motiua nostræ religionis, non possunt interius negare, se posse prudenter credere, & obligari ad credendum, ideoque non credendo, peccant, & merentur condemnationem, iuxta illud Christi, Marci vltimò, *qui non crediderit, condemnabitur*. Adde vt plurimum infideles, etiam cum non sufficienter penetrant motiua nostræ religionis, ac proinde non tenentur proximè credere, habere euidenciam de hoc, quod non possunt prudenter quiescere in suis sectis, sed tenentur considerare motiua aliarum sectarum, & præsertim religionis Christianæ, ac Catholicæ, & si non considerent, grauius peccant, & merentur condemnationem.

9. Ad 2. nego maiorem. Ad probationem distinguo maiorem: probabile est, quod probatur argumentis magni ponderis, & habentibus magnam vim trahendi, & inclinandi intellectum ad assensum, etiam cum intellectus considerat rationes contrarias, quas debet considerare, concedo; cum non considerat rationes contrarias, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Vt aliquid sit probabile, non sufficit, vt probetur argumentis magni ponderis, & habentibus magnam vim trahendi, & inclinandi intellectum ad assensum, cum non considerantur argumenta contraria, sed requiritur, vt habeant talem vim etiam, cum considerantur motiua contraria: ex. gr. argumenta, quibus probatur impossibile esse continuū, & motum, ex eo, quod neque possint componi ex indiuisibilibus, neque ex partibus semper in infinitum diuisibilibus, secundum se præcisè considerata, sunt magni ponderis, cum difficillimè soluantur: sed consideratis rationibus, & experiencijs, quibus ostenditur, dari motum, & continuū, sunt penitus contemnenda, & nullam habent vim mouendi prudenter, & probabiliter intellectum ad negandum continuū, & motum; ideoq; Arist. 8. Phys. text. 22. dicit infirmitatem intellectus esse propter tales rationes negare motum. In casu nostro argumenta, quibus probatur Christianam religionem esse falsam, consideratis rationibus, quibus probatur Deum reuelasse

religionem Christianam, & catholicam, nullius sunt momenti. Quid enim mirum, si nos, qui non possumus penetrare, quo pacto componatur continuū, & motus, quæ oculis videmus, & manibus tractamus, non possumus satis penetrare, quo pacto Deus sit trius, & vnus, quo pacto potuerit fieri homo, & vniuersum, quid Deus possit, vel non possit? ergo sicut imprudenter, & stultè propter rationes, quæ afferuntur contra continuū, & motum, negaremus, aut reuocarem in dubium dari continuū, & motum, sic imprudenter propter rationes apparentes, quæ afferuntur contra mysteria Trinitatis, Incarnationis &c. dubitarem de veritate nostræ religionis, cum aliundè probetur efficacissimè credendum esse, illam fuisse reuelatam à Deo.

### QVAESTIO CXXIII.

*Virum ex vaticinijs veteris testamenti probetur euidenter Christianam religionem esse prudenter credibilem, & credendam?*

1. **V**idetur non probari: primo quia potest prudenter dubitari vaticinia veteris testamenti verè non fuisse scripta ante Christum, sed post Christum à Christianis conficta, ad probandam religionem Christianam, & ad ostendendum Christum nostræ religionis authorem fuisse diuinitus reuelatum, & promissum, antequam veniret.

2. Secundo in vnaquaque re standum est peritis in ea re; sed peritissimi circa vaticinia veteris testamenti, & circa eorum adimplerionem sunt Iudæi, quibus fuerunt tractata; ergo circa vaticinia veteris testamenti, & circa eorum adimplerionem, standum est Iudæis; sed Iudæi vnanimè negant vaticinia de Messia impleta esse in Christo, & in religione Christiana; ergo &c.

3. Tertiò vt sit euidens religionem Christianam esse prudenter credibilem, & credendam, requiritur, vt non solum aliqua, sed vt omnia vaticinia de aduentu Messie impleta fuerint in Christo, sed aliqua, non autem omnia vaticinia de Messia impleta fuerunt in Christo; ergo &c.

4. Resp. argumenta, quibus probatur euidens esse Christianam religionem esse prudenter credibilem, & credendam, desunt ex duobus præsertim capitibus; ex vaticinijs nimirum Prophetarum, quibus Christiana religio prænunciata est diu, antequam oriretur; & ex miraculis, quibus propagata est, postquam est exorta.

5. Quod ex vaticinijs Prophetarum probetur euidenter Christianam religionem esse prudenter credibilem, & credendam, insinuat Christus Luca 24. dicens, *ò stulti, & tardi corde*

corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Propheta. Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Quod hoc idem probetur ex miraculis, insinuat idem Christus Io. 15. dicens: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; ergo per miracula fit, ut qui non credunt, peccent, non credendo, adeoque sit evidens, quod tenentur credere; & per vaticinia Prophetarum sit, ut qui non credunt, sint stulti, hoc est imprudentes, & tardi corde, ac proinde quod evidens sit, quod tenentur credere.*

6. Ex vaticinijs igitur Prophetarum probatur religionem christianam esse evidenter credibilem, & credendam. Nam evidenter est credibilis, & credenda religio, quæ diu antequam oriretur, imò ferè ab initio mundi fuit propheticè promissa, & prænunciata, ac pluribus figuris expressa, & à populo, qui solus profitebatur cultum vnus veri Dei, per plura annorum millia expectata; sed talis est christiana religio; ergo &c. Maior est evidens. Nam illa religio est evidenter credibilis, & credenda, quæ habet motiua, propter quæ evidens est, quod quilibet prudens potest, ac debet credere illam fuisse diuinitus reuelatam; sed evidens est, quod quilibet prudens potest, ac debet credere reuelatam fuisse à Deo religionem, quæ multis sæculis antequam oriretur, fuit propheticè promissa, & prænunciata; ergo &c. Probatur igitur minor: nam Iudæi, qui sunt christianæ religioni inimicissimi, toto terrarum orbe ab annis mille sexcentis dispersi, ac diffusi, deserunt secum libros veteris testamenti, ac vnanimiter testantur eos esse scriptos diu, antequam Christus nasceretur, & christianam religionem fundaret; testantur etiam in ijs libris præcipuè contineri promissiones, & vaticinia Messia venturi, cuius legem, & doctrinam deberent homines sequi, ut ad felicitatem peruenirent: testantur denum se vsque à temporibus Abraham, hoc est duobus circiter annorum millibus ante natiuitatem Christi, expectasse Messiam; ergo est moraliter evidens libros veteris testamenti plenos promissionibus, ac prædictionibus Messia venturi, ac religionis, quæ profiteretur doctrinam, & legem Messia, scriptos fuisse diu ante Christum, & Iudæos, qui tunc soli inter omnes populos colebant vnum, & verum Deum, libros illos recepisse vt traditos à Deo, & per duo circiter annorum millia, credidisse, & expectasse Messiam venturum, vt doctrinam, & legem eius sequendo, peruenirent ad felicitatem: qui autem de his dubitaret, posset etiam dubitare, vtrum ante Christum existerit Respublica Romana, & Atheniensis, & scripti fuerint libri Demosthenis, Ciceronis &c. sed in Christo, & in religione christiana impleta sunt, & quotidie implentur, quæ in libris veteris testamenti promissa, & prænunciata fuerunt de Messia, ac de religione eorum, qui profiterentur doctrinam, & legem Messia; ergo Christus, & religio

christiana fuerunt diuinitus promissa, ac prænunciata diu, antequam Christus nasceretur, & christianam religionem fundaret. Probatur vltimum assumptum, afferendo clarissimas prædictiones de Messia, quæ manifestè impletæ fuerunt in Christo, & in religione christiana.

7. Primò tempus aduentus Messia Genes. 49. prædixit Iacob, dum moretetur, dicens: *non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: sed ius sceptri, & principatus Iudaici non fuit ablatum stabiliter, & sine spe ex tribu Iuda, nisi cum Herodes, non Iudæus, sed alienigena, non ex consensu, & electione populi Iudaici, sed ex tyrannica Romanorum potentia regnum Iudæorum occupauit: tempore autem Herodis natus est Christus, qui fuit expectatio, siue, vt alij legunt, aggregatio gentium: nam Gentiles per fidem se aggregarunt Christo, & Apostolis, alijque Iudæis, qui crediderant in Christum, non aliter, ac si illum expectassent; ergo &c. Circa hoc vaticinium Iacobi videri potest Suarius de Incarn. disp. 1. sect. 2. Lyranus, Cornelius, & alij interpretes Scripturæ, qui testimonio Hebræorum, Græcorum, Latinorum, & Chaldæi paraphrastici probant eo loco à Iacobo promissum fuisse Messiam, non autem Ieroboam, vt insulsè, & impiè docuit Rabbi Salomon, nec Nabuchodonosor, vt non minus impiè docuit Iulianus Apostata; siquidem Messias, non autem illi erant futuri expectatio gentium. Videri etiam potest Perauis in Rationario temporum, part. 2. lib. 3. cap. 16.*

8. Secundò clarius tempus aduentus Messia, eiusque mortem, perfidiam Iudæorum in Messia negando, ac destructionem, & perpetuam desolationem regni Iudaici, cum euersione Templi prædixit Angelus Gabriel, Danielis cap. 9. dicens: *Danieli, cui apparuerat: Animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta Hebdomada abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, vt consumetur preuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungetur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte. Ab exitu sermonis, vt iterum edificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades septuagintaduæ, & rursus edificabitur platea, & muri in angustia temporum; & post hebdomades septuagintaduas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est; & ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et vsque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio. Debet aduerti, quod cum duplex sit hebdomas, seu septenarius, dierum nimirum, & annorum, Angelus hoc loco lo-*

quitur de hebdomadibus, seu septenarijs, non dierum, sed annorum, de quibus dicitur, Leuit. 15. *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul facient annos 49.* Hoc posito, Angelus prædicit primò tempus, intra quod Christus, seu Messias veniret, & impleret prophetias, abbreviatum, seu contractum esse intra spatium 70. hebdomadarum, hoc est annorum 490. quæ hebdomadæ deberent incipere ab exitu sermonis, vt iterum ædificaretur Ierusalem, hoc est ab anno, quo edictum de iterum ædificanda Hierosolyma à Chaldæis destructa, exitum, & effectum deberet habere, quod incidit in annum septimum Artaxerxis Longimani Regis Persarum, qui vt patet primo Esdræ 7. anno septimo Regni sui misit Esdram in Ierusalem cum multis Iudæis, non ex alio fine, nisi vt Hierosolymam restaurarent. Prædicit secundò, quod intra spatium septuaginta hebdomadarum ab edicto Artaxerxis ædificanda erat Ierusalem in angustia temporum, hoc est tempore valde angusto, & breui, quod impletum est; siquidem, vt legitur 2. Esdr. 6. propter hostes assiduè lacescentes Iudæos, Neemias, & Iudæi angustissimo, & breuissimo tempore 52. dierum mania vrbs raptim perfecerunt. Prædicit tertio ab edicto Artaxerxis vsque ad Christum Ducem, hoc est vsque ad tempus, quo Christus annorum 30. baptizatus à Ioanne constitutus est à Patre dux populi fidelis, vt illum in prædicatione congregaret, dicente Patre Matthæi 4. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite,* futuras hebdomadas 7. & hebdomadas 62. hoc est hebdomadas 69, quæ conficiunt annos 483. quot de facto inter edictum Artaxerxis, & baptismum Christi intercessisse ostendunt plures Chronologi apud Cornelium cap. 9. Danielis. Siquidem septimus annus Artaxerxis concurret cum quarto octogesima Olympiadis, & cum anno vrbs condita 297. baptismus autem Christi incidit in annum 15. Tiberij Cæsaris, qui annus concurret cum anno quarto Olympiadis 201. & cum anno vrbs condita 781. Prædicit quartò, quod post has hebdomadas 7. & 62. hoc est hebdomada 70. occidetur Christus, quod de facto accidit, siquidem Christus occisus est tribus annis, & tribus circiter mensibus post baptismum, qui anni spectant ad septuagesimam hebdomadam. Prædicit quintò, quod post mortem Christi non erit amplius populus eius, qui eum negaturus est, quod impletum est. Nam postquam Iudæi Christum negarunt, dicentes Pilato, *Nos non habemus regem, nisi Cæsarem,* deserunt esse populus eius. Prædicit sextò, quod post mortem Christi ciuitatem, & sanctuarium, hoc est templum, dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio; quod impletum est. Nam 38. annis post mortem Christi, durante adhuc generatione eorum, qui Christum interfecerant, vt ipse Christus

prædixerat, populus Romanus, Tito duce, euerit Hierosolymam, ac templum. Prædicit septimò, quod Christus confirmabit pactum, hoc est testamentum nouum, quo instituit religionem christianam, hebdomadyna, quod impletum est, cum Christus expletis tempore baptismi 69. hebdomadibus, hebdomada septuagesima per tres annos, ac tres circiter menses prædicationis confirmabit nouum testamentum multis sermonibus, vaticinijs, miraculis, & morte ipsa: ideoque moriens dixit, *consummatum est:* siquidem testamentum perficitur morte testatoris, vt dicit Apostolus ad Hebr. 10. Prædicit octauò, quod in dimidio hebdomadæ, nimirum septuagesimæ, deficiet hostia, & sacrificium, quod impletum est: siquidem per mortem Christi, quæ accidit post tres annos, & menses circiter tres septuagesimæ hebdomadæ adeoque dimidio illius hebdomadæ, defecerunt, & mortua sunt omnia sacrificia legalia, per Moysem præcepta, ideoque in signum, quod omnia legalia defecissent, velum templi scissum est, vt dicitur Luc. 22. Prædicit nonò, quod post mortem Christi erigatur templo abominatio desolationis, hoc est profanabitur flagitijs abominabilibus templum paulò post desolandum, quod impletum est siquidem vt refert Iosephus, 38. circiter annis post mortem Christi, vt Christus ipse prædixerat, seditiosi quidam Iudæi, qui se vocabant Zelotas, templum occuparunt, & castrorum more munierunt, illudque cædibus, rapinis, alijsque abominandis flagitijs profanarunt, & sic meruerunt, vt paulo post euereretur, & desolaretur.

9. Decimò demum prædicit, quod vsque ad consummationem, & finem persecutorie desolationis, quod experientia mille, & sexcentorum annorum videmus impleri, quibus Iudæi sapè se, ac templum erigere conati sunt, sed frustra, & irritò conatu, ita vt hinc certè liceat conijcere hanc Iudæorum desolationem duraturam vsque ad finem mundi, vt prædicit Daniel, quando Antichristus Iudæorum templum reparabit, & in illo sedebit, & adorabitur, vt colligitur ex Apostolo 2. ad Thesal. 2. vbi de Antichristo dicit: *ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Cum igitur hæc, quæ à Daniele prædicta sunt, annis circiter quingentis quadragesime ante ortum Christi, fuerint impleta in Christiana, & in Christiana religione, Christiana religio est vera, ac credi debet illam fuisse reuelatam à Deo. Adde, quod licet circa prædictum tempus, quo debet computari initium, & finis 70. hebdomadarum Danielis, plures sint opiniones, tamen iuxta omnes constat illa completas fuisse circa tempus Christi.

10. Tertio de Messia Isaia 7. prædicitur est, quod esset oriturus ex Virgine: *Ece Virgo concipiet, et pariet filium;* quod nasciturus esset in Bethleem: Michæ 9. *et in Bethleem Ephraim Iuda paruulus es in minimis Iudæ,* et in

mibi credetur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio à diebus æternitatis: quod daturus esset visum cæcis, surdis auditum, gressum claudis, loquelam mutis, Isaia 25. Deus ipse veniet, et saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Quod futurus esset pauper, & intraturus Hierosolymam sedens super asinum, Malachia 9. Exulta satis filia Syon, iubilata filia Ierusalem; ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator; ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinae; sed hæc omnia in Christo legimus impleta; ergo &c.

11. Quartò quæ spectant ad passionem, & mortem Christi pro peccatis nostris, & ad causam, & circumstantias mortis tam clarè prædicta sunt à David Ps. 22. ab autore libri Sapientia, qui tribuitur Salomoni, cap. 2. & ab Isaia cap. 53. vt videantur scriptis non vaticinia futurorum, sed historiam præteritorum: ideoque de cap. 53. Isaia dicit Cornelius, quod posset inscribi, passio Iesu Christi secundum Isaiam. David enim Ps. 22. loquens in persona Christi dicit: *foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipse vero considerauerunt, & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem; & Ps. 68. dicit: dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Sapientia in persona Iudæorum dicitur: Promittit scientiam Dei se habere, et filium Dei se nominat: & paulò post, gloriatur Patrem se habere Deum: & infra: si enim est verè filius Dei, suscipiet illum: & concluditur: morte turpissima condemnemur. Quibus verbis clarissimè prædicitur Christum morte turpissima condemnandum, quia prædicaturus erat se esse filium Dei. Isaia 53. præter alia multa dicitur: *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: vulneratus est propter iniquitates nostras, atrox est propter scelera nostra. Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrorum. Oblatus est, quia ipse voluit. Si cui ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Abscisus est de terra viuientium: propter scelus populi mei percussus eum, tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccatorum multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit, &c. sed hæc clarissimè impleta sunt in Christo; ergo &c.**

12. Quintò prædictum est præcipuum fructum aduentus, & mortis Messia futurum conuersionem, & aggregationem gentilium. Nam Genes. 22. promissit Deus: *in semine tuo benedicentur omnes gentes: Genes. 49. Iacob postquam prædixit tempus aduentus Messia, addidit: ipse erit expectatio gentium: David Ps. 22. postquam prædixit mortem Christi, prædicens eius fructum dicit: conuertentur ad dominum vniuersi fines terra, & adorabunt in conspectu eius vniuersa familia gentium, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium: Isaia 53. loquens de Messia dicit: si posuerit pro peccato*

*animam suam, videbit semen longæuum. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo disperdiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam &c. Toto deinde cap. 54. prænunciat conuersionem gentilium ad Christum, & capite 55. dicit: ecce te stem populi dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, & gentes, quæ te non nouerunt, ad te current &c. sed videmus post mortem Christi conuersos ad Deum fuisse Gentiles; ergo &c.*

13. Hinc concluditur argumentum. De Messia, & de religione eorum, qui recepturi essent Messiam, à Patriarchis, & Prophetis ante annos 500. 1000. & 2000. prædicta fuerunt multa, quæ videbantur prorsus incredibilia; sed hæc omnia impleta sunt in Christo, & in religione credentium in Christum; ergo euidenter credibilis, & credenda est religio credens in Christum. Probatur maior, & minor. Nam videbatur prorsus incredibile, quod Iudæi, qui duobus annorum millibus expectauerant Messiam, & per obseruantiam legis, & studium sacrarum literarum ad aduentum eius se præparauerant, postquam venisset, non solum non essent eum recepturi, sed etiam morte turpissima essent condemnaturi; quod fossuri essent eius manus, & pedes; quod sitientem potaturi essent felle, & aceto; quod diuisuri essent eius vestimenta, & in vestem eius missuri sortem; quod in crucem clarum irrifuri; quod post mortem Messia euertendum esset regnum Iudæorum, desolanda ciuitas, & templum, desolatione duratura vsque ad finem mundi, ac gens Iudæorum esset dispergenda inter omnes gentes; sed hæc videmus prædicta, & impleta; ergo &c. Non videbatur minus incredibile, quod gentiles, qui loco veri Dei colebant idola, non recipiebant Scripturas, ac non solum non expectabant Messiam, sed irridebant Iudæos, quod Messiam expectarent, recepturi essent Messiam à Iudæis crucifixum; in eumque vt Deum firmissimè credituri, & pro hac fide morituri; sed hæc etiam fuerunt prænunciata, & videmus impleta in Christo, & in religione christiana; ergo &c.

14. Confirmatur primò: nam hæc prædicta fuerunt, non vtcumque, sed notando tempus, enumerando annos, vt patet ex prophetia Danielis de 70. hebdomadibus. Rursus prænunciata fuerunt, non simul ab vno, sed seorsim à pluribus, qui vixerunt diuersis temporibus. Quædam enim prædicta sunt in libris Moysis, quædam in Psalmis Dauidicis, quædam in libro Sapientia, quædam in Prophetis Isaia, Danielis &c. sed erat prorsus incredibile, quod plures diuersis temporibus, & locis conuenirent in prædicendis seorsim multis, quæ collectiue implerentur in vno, nisi per illos plures loqueretur vnus, & idem spiritus Dei, qui præscit, & disponit futura, sicut præsentia; ergo. Confirmatur secundò:

nam Christus non solum in se ipso impleuit plura planè incredibilia, quæ de eo prædicta fuerant à prophetis, sed etiam prædixit alia multa, non minus incredibilia, quæ vel iam sunt adimpleta, vel quotidie videntur impleri; ergo &c. Probatum antecedens; nam Christus prædixit euersionem Hierosolymæ, Lucæ 19. dicens: *circumdabunt te inimici tui vallo &c. & ad terram prosterent te, & filios tuos, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tue.* & Lucæ 21. addit tempus, in quo erant hæc implenda, dicens: *non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant; quod impletum est; siquidem 38. annis post mortem Christi, durante adhuc generatione eorum, quibus Christus hæc prænuuciauerat, euersa est Hierosolyma. Prædixit gentiles conuertendos loco Iudæorum, qui non erant credituri, dicens Matth. 31. & auferetur vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius: Matth. 8. multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Prædixit vnam Ecclesiam congregandam ex Iudæis, & gentilibus ad fidem conuertendis, Io. 10. dicens: *alias oves habeo, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Prædixit mundum conuertendum per hoc, quod ipse crucifigeretur Io. 12. dicens: *& ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: prædixit religionem christianam propagandam per persequutiones, & mortes, ac futurum, vt aduersarij Apostolis, alijsque prædicatoribus Euangelij non possent resistere, Matth. 10. dicens: *Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ante reges, & præsidēs ducemini propter me; & Lucæ 11. Dabitur vobis os, & sapientia, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Prædixit Euangelium prædicandum in toto mundo, & miraculis confirmandum, Matth. 16. dicens: *prædicabitur Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnium; & Marc. vlt. Signa autem in eis, qui crediderint hæc, sequentur. In nomine meo demonia eijcient &c.* sed hæc videbantur planè incredibilia, & tamen iam sunt impleta; ergo &c. Adde quædam prædicta esse, quæ quotidie videmus magis, & magis impleri. Vt enim omitam quod spectat ad dispersionem, & incredulitatem Iudæorum duraturam vsque ad finem mundi, B. Virgo Lucæ 1. prædixit de se ipsa: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quod ita ad litterã ab annis plusquã 1600. videmus impleri, vt non solũ à christianis, sed etiam à Mahometanis communiter vocari soleat Beata Virgo; & Christus Matth. 16. prædixit se ædificaturum Ecclesiam in Petro, hoc est in rudi, & paupere piscatore, cui Ecclesiæ non posset infernus omnibus suis viribus, & conatibus præualere, dicens: *tu es Petrus, & super hæc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam: quod annis 1600. & amplius impletum est, & quotidie impletur; siquidem****

infernus omnibus suis viribus, & conatibus per Infideles, & Hæreticos, ac Schismaticos per Imperatores, Reges, ac Tyrannos pugnavit, & pugnat contra Ecclesiam Romanam ædificatam in Petro, & in Petri successoribus Romanis Pontificibus, & tamen non potuit nec potest præualere; ergo cum tam multa, & tam incredibilia de Christo, ac de Ecclesia christiana à Prophetis, & à Christo ipso prædicta videamus impleta, & impleri in Christo, & in Ecclesia, ac in religione christiana, euidens est prudenter credi posse, ac debere religionem christianam fuisse traditam, & reuelatam à Deo.

15. Innumera alia vaticinia possent afferri siquidem legenti, & intelligenti sacram Scripturam euidentissimum est totum testamentum vetus, & totam rempublicam Iudæorum nihil aliud fuisse, quam prophetiam, & figuram ac promissionem testamenti noui, atque Ecclesiæ christianæ: testamentum autem nouum, & Ecclesiam christianam nihil aliud esse, quàm adimpletionem testamenti veteris; ideoque duo testamentum sibi mutuo testimonium præhibent, & se mutuo probant. Nam ex eo quod in testamento nouo videmus impleta, & impleri, quæ fuerunt prædicta, & figurata in veteri, euidenter est credibile, & credendum testamentum vetus fuisse diuinitus reuelatum, & ex eo, quod in testamento veteri fuerunt reuelata, & prædicta quæ impleta sunt, & implentur in nouo, euidenter est credibile, & credendum diuinitus reuelatum esse testamentum nouum, ac religionem christianam. Hoc autem argumentum desumptum ex vaticinijs est præcipuum pro religione christiana, & præferendum est etiam argumento desumpto ex miraculis, iuxta illud S. Petri, ep. 2. cap. 1. *Hebemus firmiter prophetiam sermonem: & iuxta illud Christi Luc. 16. Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

16. Hoc argumento ex vaticinijs videntur passim PP. Tertullia. Apolog. cap. 70. dicit: *Idoneum opinor testimonium diuinitatis est veritas diuinationis. Scilicet apud nos futurorum quoque habet tuta est, iam probatorum; quia cum illis, quæ quotidie scilicet probantur, prædicebantur. Et paulo post: quid delinquimus, oro, nos futura quæ credentes, qui iam didicimus illis per suos gradas credere? August. tom. 10. serm. 31. de verbis Domini dicit: *Ista omnia, quæ vides, non erant Christianis populus toto orbe terrarum aliquando non erant. In prophetia legebatur, in terra non videbatur. Nunc auditur, & legitur, & videtur. Ipsa Ecclesia est completa. Non ei dictum est: vide filia, & audi; sed audi, & vide: audi prædicta, vide completa.* Idem vrget lib. de Catech. rud. cap. 17. Eodem argumento vtitur Chrysostomus, tom. 1. in orat. contra Iud. præsertim orat. 2. & fulsime Eusebii Cæsariensis libris de Demonstratione Evangelica.*

17. Aduertunt Tertull. & August. locis citatis, quod quia ex ijs, quæ in libris veteris

& noui testamenti prædicta sunt, illa, quæ spectant ad Christum, & eius mortem iam sunt implera; quæ spectant ad Ecclesiam, ad conuersionem gentilium, ad dispersionem, & incredulitatem Iudæorum, partim sunt implera, partim quotidie implentur, certissime credendum est etiam alia esse implenda, puta quæ spectant ad Antichristum, ad diem iudicij, ad resurrectionem mortuorum, & ad æternas pœnas impiorum, æternamque beatitudinem Sanctorum.

18. Ad 1. Est ita manifestum libros veteris testamenti non fuisse confictos à christianis post Christum, sed scriptos fuisse diu ante Christum, vt de hoc prudenter dubitari non possit. Iudæi enim christianis inimicissimi ubique gentium dispersi deferunt secum libros veteris testamenti, & vnanimiter testantur illos fuisse scriptos diu ante Christum. Adde Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 46. Iudæos ideo fuisse dispersos per omnes gentes, & permixtum, vt non crederent in Christum, vt hoc suo testimonio redderent euidenter credibilem, & credendam religionem christianam, atque hoc ipsum fuisse prophetatum à David Psal. 18. dicente: *Deus ostendit viam super inimicos meos: ne perdas eos, ne forte obliuiscantur populi mei; disperse illos in virtute tua.* Quæ verba explicans Augustinus dicit. *Demonstrauit ergo Deus Ecclesie sue in eius inimicis Iudæis gratiam misericordie sue: quoniam sicut dicit apostolus, delictum eorum salus est gentibus; & illo non eos occidit, id est non in eis perdidit, quod fecerunt Iudæi, quamquam à Romanis fuerint deuicti, & oppressi, ne obliuiscantur legem Dei ad hoc, de quo agimus, testimonium, nihil valerent. Ideo parum fuit dicere: ne occidas eos, ne quando obliuiscantur legem tuam, nisi etiam adderet: disperse illos: quoniam sicut illo testimonio Scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique essent, profecto Ecclesia, quæ ubique est, eos prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset. Idem docet explicans Psal. 58. Relatis enim verbis illis: *disperse illos in virtute tua*, subdit. *Idem factum est: per omnes gentes dispersi sunt Iudæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent codices, de quibus prophetatus est Christus; nos tenemus Christum: & si forte aliquis paganus habitauerit, cum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum euidenciam obstupescit, & admirans putauerit à nobis esse conscriptas, de codicibus Iudæorum probamus, quia hoc totum ante prædictum est. Videte, quomodo de inimicis nostris alios confundimus inimicos. Idem docet explicans Psal. 40. in fine, vbi addit, Iudæos seruire Christianis, & fungi munere capfarij portantis codices, dicens. *Modo fratres nobis seruiunt Iudæi, tamquam capfarij, & studentibus nobis codices portant.* Et in Psal. 56. explicans de Iudæis verba illa: *dedit in opprobrium conculcantes me*, dicit. *In quali ergo opprobrio sunt Iudæi? Codicem portat Iudæus, vnde discat Christianus. Librorij nostri facti sunt. Quomodo solent serui post dominos codices ferre, vt illi portando, deficiant, isti***

legendo, proficiant. In tale opprobrium dati sunt Iudæi, & impletum est, quod tantò ante prædictum est. Quale autem opprobrium est fratres, vt hunc versum legant, & ipsi cæci attendant ad speculum suum. Sic enim apparent Iudæi de Scriptura sancta, quam portant, quo modo apparet facies cæci de speculo. Ab alijs videtur, ab ipso non videtur. Adde, quod si tempore S. Augustini probabatur euidenter religionem christianam esse credendam ex eo, quod quæ de dispersione, & incredulitate Iudæorum prædicta fuerant, videbantur implera annis circiter quadringentis, florente adhuc Romano imperio, multò euidentius idem probatur temporibus nostris, quibus videmus eadem esse implera, & impleri annis mille sexcentis, & amplius, post tantam mutationem imperij Romani, & aliorum regnorum, & gentium.

19. Ad 2. distinguo maiorem: in vnaquaque re standum est peritis in ea re, vbi non est controuersia inter ipsos peritos, & cum iudicari non potest per principia intrinseca, transeat: cum est controuersia inter ipsos peritos, & iudicari potest per principia intrinseca, nego. Cum est controuersia inter peritos, standum est iudicio aliorum, & præsertim iudicio mundi: ex. gr. si sit controuersia inter pictores de optima ratione pingendi, inter milites de optima ratione pugnandi, standum est iudicio mundi; sed quando venit Christus, orta est controuersia inter Iudæos, qui erant periti diuinæ Scripturæ, vtrum Christus esset Messias ipsis promissus, & in hac controuersia plura Iudæorum millia crediderunt Christum esse Messiam, sed maior pars Iudæorum noluit credere; ergo in hac controuersia standum est iudicio mundi, & omnium penè gentium; sed omnes penè gentes, credendo in Christum, iudicauerunt, & iudicant Christum, esse Messiam, & irrident Iudæos incredulos, quod adhuc expectent Messiam; ergo &c.

20. Adde primò, quod non solum gentiles, qui conuersi sunt ad Christum, iudicauerunt, & iudicant Christum esse Messiam Iudæis olim promissum, sed etiam hoc iudicant omnes Mahometani, licet errent in hoc, quod dicunt post Christum, qui fuit Messias olim Iudæis promissus, missum fuisse à Deo alium Prophetam, hoc est Mahometum; sed hoc asserunt sine vllò fundamento desumpto ex prophetijs, aut miraculis &c.

21. Adde secundò peritos Scripturarum, esse eos, qui in Scripturis meditantur die, ac nocte; sed ex christianis plurimi, abiecta cura rerum temporalium, in Scripturis meditantur die, ac nocte: Iudæi autem toti sunt in suis temporalibus lucris, & negotiationibus; ergo Christiani, non autem Iudæi sunt peritissimi Scripturarum.

22. Demum addo, quod cum in ipsis Scripturis prædictum fuerit Iudæos ex maiori parte non credituros in Christum vsque ad finem mundi, per hoc ipsum, quod non credant, implentur quæ prædicta sunt de Christo,

no, adeoque fit, vt debeamus credere Christum esse Messiam Iudæis promissum, & christianam religionem fuisse diuinitus reuelatam.

23. Ad 3. distinguo maiorem: vt sit prudenter credibilis christiana religio, requiritur, vt omnia, quæ prædicta sunt de primo aduentu Messiae ad redimendum genus humanum, impleta sint in Christo, & concedo; requiritur, vt omnia, quæ prædicta sunt de secundo aduentu Messiae ad iudicandum genus humanum, impleta sint in Christo, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Duplex aduentus Messiae promissus est in sacris Scripturis; primus ad redimendum, in quo prædictum est Messiam venturum pauperem, & humilem, & moriturum pro peccatis nostris, vt patet ex allatis prophetijs Ps. 22. Isaia 53. Danielis 9. Sap. 2. Secundo promissus est aduentus, quo Messias in die Iudicij veniet ad iudicandum genus humanum cum gloria, & maiestate magna. Iudæi suo vitio excæcati noluerunt, ac nolunt distinguere istos duos aduentus; & quia Christus in primo suo aduentu venit, non cum gloria, & maiestate, sed pauper, & humilis, noluerunt, & nolunt recipere Christum, vt Messiam. Quia Iudæi sumpserunt occasionem errandi ex eo, quod non distinxerunt duos aduentus Messiae, ideò Christus clarissimè illos distinxit, & aperitissimè locutus est de secundo suo aduentu ad iudicandum, ac de eius signis, præsertim Matt. 25. Tempore autem passionis cum Princeps Sacerdotum in concilio interrogasset Christum, vtum esset Messias, dicens: *adiuro te per Deum vivum, vt dicas, si tu es Christus filius Dei*; Christus respondit affirmatiuè, dicens: *tu dixisti*, & quia sciebat, quod Iudæi nolebant illum recipere, quia non venerat cum maiestate, & gloria, docuit hæc esse intelligenda de secundo aduentu suo ad iudicandum, dicens: *veruntamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli*. Errant etiam Iudæi circa aduentum Messiae, quia aliqua vaticinia, quæ debent impleri spiritualiter, & mysticè, putant impleri debere materialiter. Ex. gr. Isaia cap. 2. prædictum est: *& erit in nouissimis diebus exaltabitur mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes*. Hoc vaticinium impletum est spiritualiter in Ecclesia, quæ est mons domus Domini, & exaltata est ita, vt sit visibilis toti mundo, & ad eam fluxerint, & fluant omnes gentes. Iudæi existimant hoc vaticinium implendum esse materialiter, ita vt mons *Moria*, in quo ædificatum fuerat templum, tempore aduentus Messiae debeat materialiter eleuari, & exaltari, suppositis illi alijs montibus, & hoc miraculo excitatas ad eum venturas omnes gentes.

24. Dicunt: de aduentu Messiae citato loco Isaia, & alibi prædictum est, quod erit in nouissimis diebus, hoc est parum ante diem

Iudicij; ergo Christus, qui venit multo ante diem Iudicij, non est Messias.

Resp. quod in Scriptura nouissimi dicuntur vltima ætas mundi, quæ est ab aduentu Messiae vsque ad diem Iudicij. Non est autem mirum, quod plura annorum millia vocentur dies nouissimi, siquidem vt dicitur Psal. 89. *mille anni ante oculos tuos, sicut dies ex quo, quæ præterijt*.

## QVAESTIO CXXIV.

*Vtrum ex miraculis probetur euidenter religionem christianam esse prudenter credibilem, & credendam?*

1. Videtur non probari: primò quia prudenter dubitari, vtum miracula, quæ narrantur, fuerint à christianis confecta ad astruendam fidem suæ sectæ.

2. Secundo potest etiam prudenter dubitari, vtum facta fuerint præstigij Daemonum, & per magicas artes.

3. Tertio Antichristus faciet signa, & prodigia magna in confirmationem falli, vt dicitur Matth. 24. Apoc. 13. & 2. ad Thimotheum. 2. Suetonius in vita Vespasiani narrat Vespasianum cæco lumen, & claudum gressum reddidisse. Socrates lib. 7. Historiarum, cap. 10. refert Paulum Episcopum Nouatianum habuisse miraculum in confirmationem sui dogmatis. S. August. tract. 13. in Io. dicit non esse credendum Donatistis, etiam si miracula faciant; ergo ex miraculis non probatur euidenter christianam religionem esse prudenter credibilem, & credendam.

4. Quarto Idololatria propagata fuit prestigij, & portentis; simulachra enim Deorum loquebantur, & reddebant responsa, ac habebant alia multa stupenda, & miranda; ergo ex eo, quod christiana religio propagata fuerit prestigij, & portentis, non probatur euidenter illam credi debere, vt diuinitus reuelatam.

5. Resp. secundum argumentum ad probandum euidenter christianam religionem esse prudenter credibilem, & credendam, sumi ex miraculis. Nam euidenter est credibilis, & credenda religio, quæ postquam orta, fuit per miracula propagata, & obtinuit vt innumeræ gentes, quæ colebant idola, & profitebantur sectas speculatiuè, & practice nefarias, conuerterentur ad colendum vnum verum Deum, in religione speculatiuè, & practice sanctissima: sed talis est christiana religio; ergo &c. Probat minor, primo testimonio plurimorum scriptorum, quibus fidem negamus, poterimus negare fidem omnibus historijs. Miracula enim omnibus oculis facta ad christianam religionem propagandam, & confirmandam, narrant innumera.

si scriptores, qui illis sæculis floruerunt, & digni sunt summa fide, cum omnes fuerint sapientissimi, & plerique etiam sanctissimi, puta Basilii, Athanasii, Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus, Tertullianus, Eusebius Cæsariensis, Beda, Bernardus, Petrus Damianus, & alij. Videntur possunt Bellarminus lib. 4. de Ecclesia, cap. 14. & Thomas Bosius lib. 5. de signis Ecclesiarum.

6. Probatur secundò: nam christiani ubique gentium ex certissima traditione narrant maiores suos ab idolis ad fidem christianam conuersos per miracula; ergo de hoc prudenter dubitari non potest.

7. Confirmatur primò; nam etiam nationes, quæ à fide Christi defecerunt ad Mahometum, testantur se ab initio ab idolis ad Christum fuisse conuersas per miracula, & ipse Mahometus in Alcorano dicit Christo ad propagandam suam legem miracula, sibi gladium esse datum; ergo etiam ex confessione Mahometanorum Christiana religio propagata fuit miraculis.

8. Confirmatur secundò: nam quia Galli, Hispani, cæteræque nationes, quæ iam dudum ab imperio Romano defecerunt, testantur se olim à Romanis subactas fuisse vi armorum, prudenter dubitari non potest, quin hoc sit verum; ergo quia non solum nationes, quæ permanferunt in christiana religione, sed etiam quæ defecerunt ad Mahometum, testantur se olim ab idolis ad fidem christianam conuersas fuisse per miracula, de hoc prudenter dubitari non potest.

9. Confirmatur tertio: nam etiam in nationibus, quæ superiori sæculo fuerunt ab idolis ad fidem christianam conuersæ, constans est fama, non solum apud christianos, sed etiam apud gentiles, quod christiana religio fuerit miraculis confirmata; ex. gr. in Indijs Orientalibus constantissima est fama, de miraculis à S. Francisco Xauiero factis in confirmationem fidei christianæ; & proportionalis est fama in Indijs Occidentibus de miraculis factis à Sancto Ludouico Beltrando, & ab alijs.

10. Ut afferatur tertia probatio, supponenda sunt quædam manifesta, & indubitabilia. Constat igitur primo ante Christum solos Iudæos coluisse vnum Deum creatorem mundi, cæteras gentes adorasse idola.

11. Constat secundò Socratem, Platonem, Aristotelem, ac plures alios philosophos gentium lumine naturæ cognouisse dari vnum solum Deum, & tamen licet essent summæ sapientia, eloquentia, & autoritate præditi, non potuisse persuadere vlli non dicam genti, sed ciuitati, vel oppidulo, vt relictis idolis, colerent vnum verum Deum creatorem mundi.

12. Constat tertio cultum vnius veri Dei non potuisse alijs nationibus persuaderi ab ip-

sis Iudæis, quamuis plures ex Iudæis essent sapientia celeberrimi, vt Salomon; alij dono prophetiæ, & miraculorum insignes, vt Moyses, Iosue, Elias, Elitæus, Daniel &c.

13. Constat quartò post mortem Christi ab Apostolis, qui erant pauperes piscatores, ignobiles, simplices, & indocti, persuasum fuisse, non vni, aut alteri, sed innumeris gentibus, non solum barbaris, sed prudentissimis etiam, & sapientissimis, puta Græcis, & Romanis, vt relictis idolis, ad fidem vnius veri Dei conuerterentur, & vt crederent res creditu difficillimas, & quæ primo aspectu videntur incredibiles, puta, quod Deus est trinus, & vnus; quod Filius Dei factus est homo, quod natus est ex Virgine, quod crucifixus, & mortuus est; quod tertia die resurrexit, & post dies quadraginta propria virtute in cælos ascendit; quod in die iudicii omnes mortui resurgent, & iuxta merita æternis pœnis, aut æternis præmijs afficientur.

14. Constat quintò eosdem Apostolos, eorumque successores gentibus pene omnibus persuasisse, vt amplecterentur, & obseruarent legem, sanctissimam quidem, sed difficillimam, ac nihil carni blandientem, vt præcipit, vt diligamus Deum super omnia, proximos autem sicut nos ipsos; vt diligamus etiam inimicos; vt abtineamus ab omni immunditia; vt nemo ducat plures uxores; vt matrimonia etiam Regum, & Principum sint penitus indissolubilia; vt omnia peccata mortalia cõfiteamur Sacerdotibus; vt neque assensu interno consentiamus vlli rei illicitæ; suadet virginitatem, & calibatam, paupertatem, ieiunia, corporis afflictationes, contemptum omnium eorum, quæ videntur, & amorem eorum, quæ non videntur.

15. Constat sextò religionem hanc brevissimo tempore apud innumeras nationes mirabiliter fuisse propagatam, frustra contradicentibus ubique gentium Sacerdotibus, plebe, philosophorum academijs, magistratibus, Regibus, & Imperatoribus, modis omnibus, nimirum exilijs, publicationibus bonorum, morte ipsa, & exquisitissimis supplicijs conantibus impedire subditos, ne christianam religionem amplecterentur.

16. Constat septimò plures, & præcipuas nationes integras ad Christum fuisse conuersas, ex alijs autem nationibus, plurimos christiana sacra suscepisse.

17. Constat octauò eos, qui christianam religionem sunt amplexi, tam firmiter credidisse, & credere, vt docti pariter, & indocti potius negarent se viuere, quam verum esse aliquid eorum, quæ christiana religio profiteretur, & parati sint mori pro quolibet eius dogmate, ac de facto innumeri sint mortui, ita vt qui numerum computarunt, dicant numerum martyrum peruenire ad vñdecim milliones; & in sola vrbe Romana martyrio affecta plus quam trecenta hominum milia.

18. Constat nonò plurimos ita perfectè christianam legem obseruasse, & obseruare, vt omnium virtutum gloria floruerint, & florent, ita vt vni, qui ex sectatoribus aliarum sectarum simul sumptarum in virtutibus moralibus narratur excelluisse, possit christianam religio opponere millenos, & millenos, eo pacto, quo vni virgini vestali, quæ apud Romanos virginitatem profitebantur ad certum solum tempus, potest christiana religio opponere virgines millenas, & millenas.

19. Suppositis his, quæ manifestè constant, cum S. Augustino lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 2. & cum S. Thoma 1. contra gentes, cap. 6. possumus sic argumentari. Vel miraculis tot nationes per Apostolos, eorumque successores ab idolis conuersæ sunt ad vnum Deum in christiana religione colendum, vel sine miraculis: si miraculis; ergo euidenter credibile, & credendum est christianam religionem fuisse reuelatam à Deo, cum confirmata fuerit miraculis: si sine miraculis; ergo ipsa conuersio tot nationum ab idolis ad cultum vnius Dei in christiana religione, est maximum quoddam miraculum, quod non nisi Deo auctore, potuit fieri. Nam quo pacto fieri potuit, vt cum ante Christum à Philosophis Gentilium in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, & à sapientibus ludæorum per miracula, & vaticinia futurorum nulla gens potuerit conuertere ad vnum Deum colendum in religione speculatiuè, & practicè multò faciliori, post Christum ab Apostolis rudibus, & indoctis, & ex omni parte contemptibilibus, non vna, sed plurimæ gentes, contradicente, & minante toto orbe terrarum, ac resistentibus ipsis ludæis, sine vllis miraculis conuersæ fuerint ad colendum Deum in christiana religione speculatiuè, & practicè multo difficiliori, nisi Deus ipse per internas illuminationes, & inspirationes hoc opus effecerit?

20. Confirmatur primò: nam euidenter est credibile, & credendum illud, quod negari nequit, nisi affirmando aliquid incredibilius; sed negari non potest tot nationes gentilium conuersas fuisse miraculis, nisi affirmando illas conuersas fuisse sine vllis miraculis, quod euidenter est multo incredibilius; ergo &c. Probat minor: nam quod Apostoli miraculis confirmarint Christum crucifixum esse Deum, ideoque gentes crediderint, non est incredibile; sed quod viri simplices, & indocti nulla fecerint miracula in confirmationem religionis christianæ speculatiuè, & practicè difficillimæ, & tamen illa persuaserint tot nationibus gentilium, est penitus incredibile.

21. Confirmatur secundò; nam nationes gentilium non solum conuersæ sunt ad fidem mirabili ratione, sed etiam conuersæ sunt eo pacto, quo Christus prædixit eas conuertendas; ergo cum Christus prædixerit gentes conuertendas non modo, qui planè videbatur in-

credibilis, & hoc sit impletum, euidenter est credibile, & credendum, nationes gentilium conuersas fuisse, auctore Deo.

22. Ad 1. nego maiorem. Nam est planè incredibile solos christianos, & catholicos omni tempore, & vbique gentium habuisse artem fingendi miracula, ita vt crederetur à doctis, & indoctis, eorumque religio perferretur nationibus, non solum simplicioribus, sed etiam prudentioribus, sectatores autem aliarum sectarum hac arte carere, & semper caruisse; sed constat Mahometanos, ludæos post Christum, & hæreticos, nullis temporibus, & locis habere, vel habuisse artem fingendi miracula, ita vt credantur, eorumque secta miraculis persuadeatur; ergo incredibile est hæc miracula à christianis fingi, vel ficta fuisse, sed dicendum, quod ideo miracula à christianis persuadentur, & creduntur, quod verè sunt. Confirmatur; nam ludæi ante Christum per duo annorum millia potuerunt persuadere miracula facta in confirmationem suæ religionis; post Christum cum maxime vellent, non possunt, nec annis mille fecerunt, & amplius, potuerunt persuadere miracula. Nationes, quæ per hæresim separate sunt à catholicis, antequam separarentur, poterant suadere suam religionem miraculis, quæ innumera narrantur, & constanter creduntur facta fuisse in Græcia, in Anglia, aliisque nationibus, antequam in hæresim incidere, postquam à religione catholica defecerunt, non possunt persuadere, immò nec audent fingere fieri miracula in confirmationem suarum sectarum, eo pacto, quo persuadentur, & constanter creduntur fieri apud catholicos.

23. Ad 2. nego maiorem. Nam non est prudenter credibile, quod soli christiani, & catholici, semper, & vbique habuerint, & habeant hanc artem præstigijs dæmonum faciendi miracula in confirmationem suæ religionis, cæteras sectas carere, ac semper tenuisse hæc arte, præsertim cum religio catholica tradat legem sanctissimam, & dæmonibus, eorumque præstigijs infensissimam. Confirmatur: nam dæmonis maxime interest, vt in mundo conseruetur, & propagetur idololatria, per quam ipsis dæmonibus in idolis deferuntur honores diuini, quos dæmones potè superbissimi maxime appetunt: sed christiani semper, & vbique habuerunt virtutem faciendi miracula, præsertim ad gentes à cultu idolorum, & dæmonum conuertendos ad cultum vnius Dei creatoris cæli, & terræ; ergo christiani miracula faciunt, non præstigijs dæmonum, sed virtute Dei creatoris cæli, & terræ; præsertim cum plurima miracula à christianis facta, puta suscitationes mortuorum, illuminationes cæcorum &c. fieri nequeant virtute dæmonum, sed solum virtute diuina.

24. Ad 3. ex signis, & prodigijs, quæ faciet Antichristus, respondeo, quod vt loquitur

temnenda, & censenda falsa miracula, & falsa reuelationes, iuxta illud Apostoli ad Gal. 1. *Licet nos, aut Angelus de celo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizatum est, anathema sit.*

25. Ad 4. Idololatria propagata fuit miraculis falsis, ac merè apparentibus, ac non excedentibus virtutem dæmonum, quæ proinde comparatione miraculorum factorum in confirmationem fidei catholicæ, fuerunt penitus contemnenda, vt patet ex eo, quod nationes gentilium, illis contemptis, conuersæ sunt ad cultum vnus veri Dei.

### QVÆSTIO CXXV.

*Virum euidenter probetur ceteras sectas, præter religionem christianam, non esse prudenter credibiles?*

1. **V**idetur non probari euidenter. Cum enim omnes sectæ habeant magnum numerum sectatorum, & afferant pro se argumenta non contemnenda, ac de nulla sit euidentis, quod sit vera, & diuinitus reuelata, apparet rationale, vt Deus permittat vnumquemque, tutâ conscientia, liberè, ac licitè permanere in ea secta, in qua natus est.

2. Secundo Mahometani probant suam sectam esse prudenter credibilem, & credendam, argumento simili illi, quo nos probamus religionem christianam esse prudenter credibilem, & credendam; ergo &c. Probatu antecedens, afferendo hoc argumentum. Vel enim Mahometanismus propagatus est per miracula, vel sine miraculis: si per miracula, prudenter est credendum Mahometanismum fuisse diuinitus reuelatum; si sine miraculis, hoc ipsum est magnum miraculum.

3. Resp. euidentis esse, quod sola christiana religio prudenter est credibilis, & credenda, ceteræ sectæ non possunt prudenter credi. Probatu primò: nam ex dictis euidentis est omnes debere amplecti, ac sequi religionem christianam, firmissimè credendo illam fuisse diuinitus reuelatam, sed religio christiana docet non esse sequendas alias sectas; ergo euidentis est nos non posse prudenter sequi, & profiteri aliam sectam.

4. Probatu secundò: nam aliæ sectæ reducuntur ad Atheismum, Ethnicismum, Philosophismum, Iudaismum, & Mahometanismum; sed euidentis est homines per se non posse prudenter sequi, & amplecti vllam ex dictis sectis; ergo &c. Probatu minor, discurrendo per singulas sectas. Primò Atheismus, hoc est secta negans dari Deum, vel concedens dari Deum, sed negans illum habere prouidentiam moralem rerum humanarum, repugnat lumini naturæ, ideoque nemo potest prudenter hanc sectam sequi.

5. Confirmatur primò: nam rationes, qui-

D d d

qui-

Antichristi aduentus erit, secundum operationem Satanae in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus; ergo Antichristus non faciet miracula vera, & quæ excedant virtutem, & operationem Satanae, sicut excedunt suscitationes mortuorum, illuminationes cæcorum &c. quæ a solo Deo possunt fieri, iuxta illud Psal. 125. *qui facit mirabilia magna solus, sed Antichristus solum faciet miracula falsa, mendacia, & apparentia, ac non excedentia virtutem dæmonum, ideoque Apoc. 13. inter maxima Antichristi prodigia prædicitur, quod faciet, vt ignis descendat de cælo, & vt loquatur imago bestia, quæ facillimè fieri possunt a dæmone.* At in confirmationem religionis christianæ facta sunt, & fiunt vera miracula, & excedentia virtutem dæmonum, puta, suscitantur mortui, illuminantur cæci &c. ergo prodigia, quæ fiunt ab Antichristo contra religionem christianam, erunt omnino contemnenda, comparatione prodigiorum, quæ facta sunt, & fiunt, & etiam in fine mundi fiunt in confirmationem religionis christianæ: eo pacto, quo prodigia, quæ, vt refertur Exodi 7. facta sunt à magis Pharaonis, fuerunt omnino contemnenda, comparatione prodigiorum, quæ facta sunt à Moysè, & prodigia, quæ facta sunt à Simone Mago, fuerunt contemnenda, comparatione prodigiorum factorum à Petro. Proportionaliter dico cæcum, qui fuit curatus à Vespasiano, non fuisse verè, & incurabiliter cæcum, & claudum, non fuisse incurabiliter claudum, vt patet ex Tacito, qui lib. 4. Historiarum narrat medicos de ipsis interrogatos respondisse vtrumque posse curari; ergo Vespasianus non fecit vera miracula, & excedentia virtutem dæmonum. Addit Tertullianus in Apologetico, cap. 22. credibile esse morbos illos fuisse causatos à dæmone, qui alterum impediabat, ne videret, alterum, ne recta ambularet, vt ablato deinde impedimento, videretur factum miraculum. Miraculum, quod à Socrate narratur, non fuit factum à Paulo Episcopo Nouatiano in confirmationem falsi dogmatis, sed à Deo in confirmationem veri baptismi. Cum enim, vt Socrates refert, Iudæus quidam, qui fuerat catholicè baptizatus ab Attico Episcopo Constantinopolitano, fingens se non esse baptizatum, venisset ad Paulum Nouatianum, vt ab eo iterum baptizaretur, & sic irideret baptismum, tota aqua sacri fontis repente euanuit, Deo non permittente, vt impostor Iudæus in baptismi irrisionem iterum baptizaretur ab hæretico. Augustinus dicit non esse credendum Donatistis, etiam si miracula faciant; tum quia in confirmationem falsi dogmatis non possunt fieri miracula alia, quam falsa, & mendacia, qualia faciet Antichristus; tum quia religio catholica ita est confirmata miraculis, ac vaticinijs Prophetarum, vt quæcunque reuelationes, & miracula afferantur in contrarium, sint omnino con-

quibus probauimus religionem christianam diu antequam oriretur, fuisse promissam, & reuelatam, postquam est orta, fuisse miraculis propagatam, ostendunt euidenter credibile, & credendum esse dari Deum, & habere prouidentiam rerum humanarū; ergo ostendunt euidenter non posse prudenter negari dari Deum, & habere prouidentiam rerum humanarum.

6. Confirmatur secundò: nam qui negant dari Deum, & habere prouidentiam rerum humanarum, procul dubio pro sua secta non possunt afferre vlla miracula, & signa facta in confirmationem illius: siquidem eo ipso, quod afferrent, destruerent suam sectam; ergo ex hoc capite non potest habere vllam credibilitatem.

7. Secundo Ethnicismus, hoc est secta colens plures Deos, repugnat lumini naturali, quo euidenter ostenditur dari vnum solum Deum, incorporeum, & optimum, ac proinde non potest prudenter credi dari plures Deos, præsertim tales, quales coluntur ab Ethnicis, ex quibus nimirum Dijs, alij sint mares, & alij feminae, & qui talia gesserint, quæ cum homines gerunt, censentur scelestissimi.

Confirmatur; nam argumenta, quæ probant religionem christianam fuisse diuinitus prænuñciatam, antequam oriretur, postquam est orta, fuisse diuinitus miraculis propagatam, ostendunt etiam euersionem idololatriæ fuisse diuinitus prænuñciatam, & eandem idololatriam fuisse per miracula à christianis in pluribus gentibus euersam; ergo sicut ostendunt euidenter religionem christianam prudenter credi posse, ac debere, sic ostendunt idololatriam non posse prudenter credi.

8. Tertio Philosophismus, seu Deismus est secta dicentium nullam religionem fuisse diuinitus reuelatam, nullam legem positiuam fuisse à Deo traditam, ac proinde illud solum de Deo credendum, quod probetur ratione naturali, puta quod Deus sit, & vnus tantum sit; quod habeat prouidentiam rerum humanarum, ac solum obseruandam esse legem naturalem; sed ex vaticinijs Prophetarum, & ex miraculis probatur euidenter esse prudenter credibile, & credendum religionem, ac legem christianam fuisse diuinitus reuelatam, & traditam; ergo euidenter est homines non posse prudenter sequi sectam Philosophorum, ac non posse prudenter negari dari aliquam religionem, ac legem diuinitus reuelatam.

9. Quarto nos christiani conuenimus cū Iudæis quoad reliqua, ac solum discrepamus in eo, quod Iudæi negant Messiam venisse, nos christiani dicimus Messiam iam venisse, & Christum esse verum Messiam, cuius doctrina, & lex sit sequenda: sed omnia argumenta allata probant credi debere Messiam iam venisse, & Christum esse verum Messiam,

cum in Christo impleta sint, quæ de Messia prædicta fuerunt à Prophetis, & religio credens Christum esse Messiam, per miracula fuerit propagata; ergo probant euidenter non posse prudenter negari Christum venisse, & Christum esse Messiam.

10. Confirmatur primò; nam ante aduentum Christi religio Iudæorum expectantium Messiam semper confirmata miraculorum fuit, & prædictionibus futurorum, quæ sunt temporibus cernebantur impleri; ergo ante Christum religio Iudæorum erat euidenter credibilis, & credenda, præsertim cum ante Christum nulla esset alia secta, quam Ethnicorum, quæ cum repugnaret lumini naturali, euidenter erat incredibilis; sed post Christum secta Iudæorum non fuit amplius confirmata vllis miraculis, & vaticinijs futurorum, religio christiana confirmata fuit, & semper confirmatur miraculis, & impletionibus prædictionum; ergo secta Iudæorum negantium Messiam venisse non est prudenter credibilis, religio christiana est prudenter credibilis, & credenda.

11. Confirmatur secundò: nam Iudæi post Christum fuerunt à Deo penitus derelicti, & in suis libris Thalmudicis docentur innumerabiles errores absurdos, & lumini naturali repugnantes, de quibus videri possunt Sixtus Senensis lib. 2. Bibliotheca Sacra, Galatinus, & alij. & quosdam Iudæorum errores refert etiam Bellarminus lib. 4. de notis Ecclesiæ, cap. 11.

12. Quinto Mahometus dixit quidem se esse prophetam missum à Deo, sed nullis signis, & miraculis potuit probare se esse prophetam; ergo stultè, & imprudenter creditur Mahometum esse prophetam. Probat antecedens: nam non potuit afferre vllas prophetias, vel prædictiones, quibus antequam veniret, fuerit promissum, & expectatum, ac fuerit præceptum, vt illi crederetur, cum nos christiani afferamus innumeras prædictiones, & promissiones, quibus fuit prædictus Messias, præcipiendo, vt illi crederemus; ergo &c.

13. Confirmatur primò: nam nos christiani idcò prudenter credimus Christo, quia Moyses, & Prophetae promiserunt Messiam venturum, & impleturum ea, quæ fuerant promissa, & præfigurata in veteri testamento, & præceperunt, vt crederemus Messia; cuiusque legem amplecteremur, & hæc omnia videmus impleta in Christo; sed Christum Matth. 24. Marc. 13. & alibi, prædixit venturum multos falsos prophetas, & monuit, ac præcepit, vt si dicerent contraria doctrina ab ipso Christo tradita, illis non crederemus, sed illos detestaremur: Mahometus autem tradidit doctrinam contrariam doctrinae Christi; ergo euidenter est non posse prudenter credi Mahometo.

14. Confirmatur secundò; nam Christus innumetis miraculis ostendit se esse Messiam à Deo

à Deo missam, Mahometus nullis miraculis potuit probare se esse prophetam, & ipsemet in Alcorano dixit, Christo miracula, sibi gladium datum fuisse à Deo, & capit. 18. & 19. docet bello cogendos homines ad credendum; ergo stultè creditur Mahometum fuisse prophetam à Deo missum. Capite 68. Alcorani Mahometus insinuat se fecisse quoddam miraculum in Luna, at non explicat, quodnam fuerit; sed quodcumque illud fuerit, suo tantum testimonio id probat, & interpretes Alcorani dicunt à nemine miraculum illud visum fuisse; ergo illud miraculum leuiter, & stultè creditur.

15. Confirmatur tertio: nam Christiana religio, postquam est orta, propagata fuit innumeris miraculis, & post ortum Mahometanismo nouis semper miraculis confirmatur: at Mahometanismus nullis ab initio miraculis fuit propagatus, nullis deinde miraculis confirmatus.

16. Confirmatur quarto: nam Mahometus in Alcorano docet plures errores absurdissimos, & lumini naturali repugnantes. Nam, cap. 5. 25. & 84. & alibi passim docet beatitudinem futuræ vitæ consistere in cibo, & potu, & in multitudine vxorum, & cap. 43. dicit Deum, & Angelos orare pro Mahometo, quo nihil stultius excogitari potest.

17. Ad 1. Alia sectæ licet habeant magnum numerum sectatorum, tamen habent pro se argumenta penitus contemptibilia, præsertim si comparentur cum argumentis, quibus nititur religio christiana: sed euidentis, quod nemo potest prudenter manere in sectis, quæ nitantur argumentis penitus contemnendis, etiam in talibus sectis sit natus, & magnum habeant numerum sectatorum; ergo euidentis est, quod infideles non possunt manere in suis sectis. Nec excusantur ab obligatione amplectendi religionem christianam ex eo, quod non sit euidentis religionem christianam fuisse diuinitus reuelatam. Sicut enim licet non sit euidentis aliquas leges humanas fuisse legitimè latas à Principe, si tamen sit euidentis prudenter credi posse, ac debere illas leges fuisse legitimè latas, euidentis est, quod subditi tenentur se subijcere talibus legibus, & si nolint se subijcere hoc prætextu, quod non sit euidentis tales leges fuisse legitimè latas à Principe, sunt extremo supplicio digni, tanquam contumaces, & rebelles, & hoc principium in moralibus, & politicis est euidentissimum, & apud omnes gentes receptum: sic licet non sit euidentis religionem, & legem christianam fuisse diuinitus reuelatam, tamen cum ex vaticinijs Prophetarum, & ex miraculis euidentis sit prudenter credi posse, ac debere religionem, ac legem christianam fuisse diuinitus reuelatam, euidentis est omnes obligari ad amplectendam religionem christianam, ac si nolint amplecti eo prætextu, quod non sit euidentis illam diuinitus fuisse reuelatam, esse extremo supplicio dignos; tan-

quam Deo contumaces, & rebelles. Confirmatur: nam nulla datur lex humana, de qua ita sit euidentis prudenter credi debere illam fuisse latam ab habente legitimam potestatem, sicut de religione, ac lege christiana est euidentis, prudenter credi posse, ac debere illam fuisse latam à Domino totius mundi. Quis enim potest prudenter dubitare, vtrum lex, quæ diu antequam promulgaretur, fuit promissa, postquam est promulgata, fuit miraculis confirmata, fuerit lata à Deo domino totius mundi, qui solus potest præscire, ac disponere futura, antequam fiant; & cum sit dominus totius naturæ, potest per miracula dispensare in legibus naturæ? ergo si excusamur ab obligatione subijcendi nos legi christianæ, quilibet excusari posset ab obligatione omnium legum humanarum, eo prætextu, quod vel non sit euidentis authorem talium legum habuisse legitimam potestatem, vel non sit euidentis tales leges latas fuisse ab illis authoribus.

18. Ad 2. Simili argumento posset probari etiam ethnicismum fuisse diuinitus reuelatum. Constat enim ante aduentum Christi ethnicismum multo magis fuisse propagatum, quàm post aduentum Christi propagatus fuerit mahometanismus, siquidem ante aduentum Christi omnes gentes, & nationes, exceptis tantum Iudæis, colebant idola; sed factò dilemmate probari non potest Ethnicismum ante Christum fuisse diuinitus reuelatum; ergo neque potest probari post Christum Mahometanismum fuisse diuinitus reuelatum. Ratio est, quia vt secta, quæ blanditur sensui, & relaxat fræna licentiæ, propagetur, procul dubio non requiruntur miracula, sed potius requiruntur miracula, ne homines ad voluptates, & ad licentiam proni talem sectam amplectantur; sed Gentiles ante Christum, & Mahometani post Christum, blanditi fuerunt sensui, & relaxarunt fræna licentiæ, permittentes multitudinem vxorum, & post hanc vitam promittentes beatitudinem quamdam bestialem, consistentem in voluptatibus corporeis; ergo non est mirum, quod mahometanismus propagatus fuerit sine miraculis; præsertim cum propagatus fuerit vi armorum, & per potentiam bellicam. At christiana religio, quæ non indulget sensui, imo proponit difficillima ad credendum, ad sperandum, & ad agendum, propagata fuit toto orbe terrarum à paucis hominibus rudibus, & indoctis, non vi armorum, sed toto mundo conante impedire, ne propagaretur; sed hoc non potuit euenire sine maximo miraculo, vt ostensum est; ergo &c.

## QVÆSTIO CXXVI.

*Vtrum probetur euidenter solam religionem catholicam Romanam esse prudenter credibilem, omnes alias sectas non esse prudenter credibiles, & credendas?*

1. **V**idetur non probari euidenter; primò quia vt probaretur euidenter religionem Catholicam Romanam esse prudenter credibilem, & credendam, deberet ostendi nullum dogma in ea tradi contrarium veritati, tum cognitæ per lumen naturale, tum diuinitus reuelatæ; sed hoc non ostenditur; ergo &c.

2. Secundò prudenter credi potest ad salutem sufficere, vt conueniamus in præcipuis dogmatibus spectantibus ad Deum trinum, & vnum, ad Incarnationem Verbi, & ad passionem, & mortem Christi, licet discrepemus quoad alia: sed hæretici recentiores nobiscum conueniunt quoad hæc præcipua dogmata, & solum discrepant quoad secundaria; ergo &c.

3. Tertiò non tantum doctis, sed etiam simplicibus, & indoctis deberet esse euidenter solam religionem christianam, & catholicam esse prudenter credendam; sed non explicatur, quo pacto hoc sit euidenter etiam indoctis; ergo &c.

4. Quartò si probaretur euidenter religionem catholicam esse prudenter credibilem, & credendam, probaretur euidenter religionem catholicam esse veram; sed hoc non probatur euidenter; ergo &c.

5. Resp. euidenter esse solam religionem catholicam romanam esse prudenter credibilem, & credendam, cæteras sectas prudenter credi non posse.

6. Probatum primò; nam ex dictis euidenter est religionem illam esse prudenter credibilem, & credendam, quam Christus fundauit, & instituit, sectas autem, quas instituerunt qui descuerunt à religione, quam Christus instituit, & rebelarunt ab Ecclesia, quam Christus fundauit, prudenter credi non posse; sed Ecclesiam catholicam romanam Christus instituit, cæteras autem sectas instituerunt qui descuerunt à religione, quam Christus fundauit; ergo &c. Probatum minor; nam Christus Ecclesiam suam fundauit in Petro, eiusque successoribus, dicens Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc partem ædificabo Ecclesiam meam, & porte inferi non præualebunt aduersus eam, & suas oues Petro commisit regendas, dicens Ioan. 21. pascere oues meas;* sed Ecclesia catholica romana est Ecclesia fundata in Petro, eiusque successoribus paret ab annis plusquam mille sexcentis; omnes aliæ sectæ descuerunt, & rebelarunt ab Ecclesia funda-

ta in Petro, & quæ paret Petro, eiusque successoribus; ergo &c.

7. Confirmatur primò; nam sicut positum, quod regnum sit fundatum, & institutum sub regibus, euidenter est legitimum regnum manere apud eos, qui parent regibus, cæteros autem, qui descuerunt, & rebelarunt à regibus, fuisse, & esse rebelles regis sic cum Ecclesia, quæ est regnum Christi, fuerit à Christo fundata in Petro, eiusque successoribus, & fuerit Petro commissa, tanquam supremo pastori, euidenter est Ecclesiam Christi mansisse, & manere apud eos, qui ab annis plusquam mille sexcentis paruerunt, & parent Petro, eiusque successoribus, cæteros autem, qui descuerunt, ac rebelarunt à Petro, eiusque successoribus, esse rebelles Ecclesiæ à Christo fundatæ, & institutæ.

8. Confirmatur secundò; nam procul dubio, viuente Petro, vera Ecclesia Christi fuit, quæ Petro paruit, & consensit, Simon magus, eiusque sectatores, qui se separarunt ab Ecclesia, quæ Petro consentiebat, & parabat, fuerunt hæretici, & rebelles ab Ecclesia Christi. Petro successit Lino, & Lino viuente, vera Ecclesia fuit, quæ consensit Lino, Menander, Saturninus, & alij, qui separarunt se ab Ecclesia, quæ consentiebat Lino, fuerunt hæretici, & rebelles ab Ecclesia Christi. Temporibus sequentibus vera Ecclesia Christi fuit, quæ paruit, & consensit Cleto, Clementi, aliisque Romanis Pontificibus successoribus Petri; Marcionitæ, Manichæi, Sabeliani, Arriani, Nestoriani, Eutichiani, Monotelitæ, Iconomachi, & superiori seculo Lutherani, Calvinistæ, aliique, qui se separarunt ab Ecclesia consentiente, & parente Romanis Pontificibus successoribus Petri, fuerunt hæretici, & rebelles ab Ecclesia Christi.

9. Respondent ab initio Petrum, Linum, Clerum, aliosque Romanos Pontifices mansisse in fide Christi, ideoque Ecclesiam illis consentientem fuisse Ecclesiam Christi; consecutis temporibus, Romanos Pontifices defecisse à fide Christi, & introduxisse varios errores, ac mutatos in Antichristos, ac proinde Ecclesiam Romanis Pontificibus consentientem defecisse à fide Christi, ac mutatam fuisse in Ecclesiam Antichristi.

10. Sed contra primò; nam Manichæi, Arriani, Nestoriani, & omnes, qui confessione recentiorum hæreticorum fuerunt hæretici, separarunt se ab Ecclesia consentiente Romanis Pontificibus, hoc prætextu, quod Romani Pontifices cum Ecclesia ipsis consentiente defecissent à fide Christi; ergo dum Lutherani, Calvinistæ, & omnes sectarij huius temporis dicunt hoc, dicunt id, quod dixerunt, & semper dicent omnes hæretici, & rebelles ab Ecclesia Christi, ac proinde habendi sunt vt hæretici, ac rebelles. Secundò Christus Matth. 16. promisit portas inferi non præualituras aduersus Ecclesiam fundatam in

Petro; sed si Ecclesia consentiens Petro, eiusque successoribus, amisset fidem Christi, procul dubio portæ inferi prævaluisent aduersus eam; ergo &c. Tertio contra est, nam ex historijs Ecclesiasticis scimus, quandonam, & à quibus authoribus introducti fuerint errores Arrianorum, Nestorianorum &c. scimus etiam, quæ turbæ, & qui tumultus ex occasione talium errorum fuerint exorti; quæ concilia celebrata; qui libri scripti &c. ergo si Pontifices Romani introduxissent errores, & mutati fuissent in Antichristos, scriptum fuisset in Ecclesiasticis historijs; sed non est scriptum, imò de hac mutatione altum silentium apud omnes Scriptores; ergo imprudenter creditur, ac impudenter, & impiè dicitur ex sola libidine mentiendi, Romanos Pontifices introduxisse errores, & Ecclesiam Christi mutasse in Ecclesiam Antichristi. Quarto si ab annis circiter mille, vt dicunt hæretici huius temporis, Ecclesia adhærens Romanis Pontificibus defecit à fide Christi, & mutata est in Ecclesiam Antichristi, vel in terris remansit his annis mille visibilis Ecclesia Christi, vel non; si remansit, dicant vbi nam gentium fuerit? quinam veram Christi religionem fuerint professi? quos libros scripserint? apud quos habeatur eius mentio? sed non possunt hæc dicere; ergo. Si non remansit; ergo iam portæ inferi per annos mille prævaluerunt aduersus Ecclesiam Christi. Quinto Christus præcepit, vt audiremus Ecclesiam, & vt acquiesceremus eius iudicio, dicens Matth. 18. *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus, & publicanus*: sed non de alia Ecclesia hoc est intelligendum, quam de ea, quam promisit se ædificaturum in Petro, & portas inferi non præualituras aduersus eam; ergo ex doctrina Christi, qui nolunt audire Ecclesiam ædificatam in Petro, & nolunt eius iudicio acquiescere, habendi sunt vt ethnici, & publicani.

11. Confirmatur primò: nam procul dubio qui non solum nolunt acquiescere iudicio regis, sed neque volunt acquiescere iudicio regni congregari in comitijs generalibus representantibus totum regnum, sunt rebelles regni; ergo qui non solum nolunt acquiescere iudicio successorum Petri Pontificum Romanorum, sed neque volunt acquiescere iudicio totius Ecclesiæ congregatæ in Concilijs generalibus representantibus totam Ecclesiam, sunt rebelles Ecclesiæ; sed omnes sectæ, excepta Ecclesia catholica romana, nolunt acquiescere iudicio conciliorum generalium; ergo sunt rebelles Ecclesiæ, & earum sectatores habendi sunt vt ethnici. Ratio est, quia in quolibet regno, & republica qui non vult acquiescere, & parere supremæ potestati, est rebellis; sed Christus supremam potestatem iudicandi de controuersijs fidei dedit Ecclesiæ fundatæ in Petro, dicens; *si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus*; ergo iqui nolunt acquiescere, & pa-

rere Ecclesiæ fundatæ in Petro, eiusque successoribus, est rebellis Ecclesiæ; præsertim cum Christus promiserit portas inferi non præualituras aduersus Ecclesiam ædificatam in Petro.

12. Confirmatur secundo; nam sectarij recentiores nolunt acquiescere iudicio vilius Ecclesiæ visibilis ex ijs, quæ fuerunt ab annis circiter mille ante ipsos. Nam dicunt Ecclesiam romanam ab annis mille fuisse Ecclesiam Antichristi, alias Ecclesias fuisse Ecclesias hæreticorum, & schismaticorum, & nullam assignant Ecclesiam visibilem, quæ fuerit his annis mille, cuius iudicio velint acquiescere; ergo proculdubio, cum nolint audire Ecclesiam, habendi sunt vt ethnici.

13. Concluditur argumentum; Christus dixit; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent aduersus eam*; Lutherus, Calvinus, alique sectarij dicunt Ecclesiam fundatam in Petro, eiusque successoribus, ab annis mille defecisse à fide Christi, ac proinde aduersus eam præualuisse portas inferi. Cui prudenter est credendum, Christo, an Luthero, Caluino, & sectarijs? Christus postquam promisit portas inferi non præualituras aduersus Ecclesiam ædificandam in Petro, dedit illi Ecclesiæ supremam potestatem iudicandi, & præcepit, vt qui illam non audiunt, habeantur vt Ethnici; Ecclesia suprema hac potestate iudicat omnes, qui ipsam nolunt audire, habendos vt Ethnicos; Lutherani, Calvinistæ, & omnes sectarij, ac Schismatici nolunt Ecclesiam audire, ac dicunt potius habendos vt Ethnicos, qui audiunt Ecclesiam Romanam fundatam in Petro. Cuius iudicio prudenter standum, Ecclesiæ, an sectariorum?

14. Hoc argumento desumpto ex eo, quod vera Ecclesia Christi sit, quæ consentit, & pareret Romanis Pontificibus, qui Petro longo ordine successerunt, contra hæreticos, & Schismaticos communiter vsi sunt Patres. Tertullianus libro de Præscriptionibus dicit; *Cedant hæretici origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit authorem, & antecessorem*. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum præfert. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum Donatistam, enumeratis Romanis Pontificibus à Petro vsque ad Siricum, qui tunc sedebat, subdit. *Vos vestra cathedra originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare*; & eodem libro: *unde est, inquit, quod clauis Regni vobis Donatistæ usurpare contenditis, qui cathedram Petri vestris presumptionibus, & audacijs sacrilegè conculcatis*? Augustinus epist. 165. ad eundem finem enumerat Romanos Pontifices à Petro vsque ad Anastasium, qui tunc sedebat; & in Psalmo contra partem Donati, Donatistas alloquens, dicit. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri,*

tri, & in ordine illo Patrum quis cui successerit, videre: ipsa est Petra, quam non vincunt superba inferorum porta: & lib. contr. Epist. fundamenti, cap. 4. dicit: Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad presentem Episcopatum successio Sacerdotum: & lib. de Util. credendi: dubitamus nos illius Ecclesie concedere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen autoritatis obtinuit? Cyprianus lib. 4. Epist. 8. loquens de Ecclesia Romana: scimus, inquit, hortatos nos esse, ut Ecclesia Catholica matricem, & radicem agnoscerent, & tenerent. Ambrosius in Oratione de Obitu Satyri dicit: Rogavit, si cum catholicis, hoc est cum Ecclesia Romana consentiret. Hieronymus in Epistola ad Damasum de Hypostasis nomine: si quis, inquit, cathedra Petri iungitur, hic meus est: & Epistola superiori: Ego Beatitudini tue, id est cathedra Petri communione confocior. Supra illam petram edificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis extra arcam fuerit, peribit, regnante diluio. Quicumque tecum non colligit, dispergit; id est qui Christi non est, Antichristi est: & in fine Dialogi contra Luciferianos, dicit: breuem, apertamque animi mei sententiam proferam: in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat: ergo patet Patres docuisse Ecclesiam Christi esse, quæ consentit successoribus Petri, alias omnes esse Ecclesias hæreticorum, & Antichristi. Si autem argumentum allatum valebat tempore reatorum Parrum, quo Romana Ecclesia durauerat annis solum quadringentis, & numerabat quadraginta circiter Romanos Pontifices, multo magis valet temporibus nostris, quibus eadem Ecclesia duravit annis plusquam mille sexcentis, & numerat ducentos quadraginta quatuor successores Petri, nec vnquam portæ inferi potuerunt præualere aduersus eam.

15. Probatum secundò: nam prudenter credi potest, & debet, Ecclesiam Christi esse illam, quæ ita fuit à Christo instituta, ut per annos mille sexcentos semper manserit sub legitimis pastoribus; ut non possit assignari, quando, & quo auctore, post Christum inceperit; ut semper obtinuerit nomen catholicæ, & fuerit re ipsa catholica, hoc est vniuersalis, & toto terrarum orbe diffusa; ut eius sectatores semper in fide consenserint, semper floruerint sanctitate, lumine prophetico, & gloria miraculorum; ut semper habuerit viros, qui Apostolorum more viuentes, & prædicantes Euangelium, conuerterint ad Christum nationes gentilium: cæteras autem sectas, quibus conueniunt his contraria, esse sectas rebellium ab Ecclesia Christi, qui proinde habendi sint, ut ethnici; sed omnia enumerata conueniunt soli Ecclesie Catholicæ Romanæ, cæteris autem sectis conueniunt prorsus opposita; ergo &c.

16. Probatum minor: nam primò Chri-

stus fundauit Ecclesiam, eamque voluit esse vnum ouile sub vno pastore, dicens Io. 10. fiet vnum ouile, & vnus pastor; ac pastorem Ecclesie constituit Petrum, eiusque successores, dicens Petro Io. 21. pascere oves meas: sed Ecclesia Romana ab annis mille sexcentis mansit sub Petro, eiusque successoribus, Lino, Cleto &c. omnes alie sectæ noluerunt, & nolunt manere sub Petro, eiusque successoribus; ergo &c.

17. Secundò non potest assignari, quando nam post Christum, & quo auctore, inceperit secta adhærentium Romanis Pontificibus, imò posituè probatur hanc sectam semper fuisse. Constat enim ex actis Apostolorum, & ex historijs Ecclesiasticis, post ascensionem Christi Ecclesiam Christi adhæsisse Petro; mortuo Petro, adhæsisse Lino &c. De alijs sectis scimus, quando, & quo tempore post Christum inceperint, & quo auctore. Constat nimirum Simonianos incepsisse auctore Simone Mago; Sabellianos auctore Sabellio; Arrianos auctore Arrio &c. Scimus per annos plusquam octingentos non fuisse sectam adhærentium Patriarchæ Constantinopolitano, ut supremo Pastori, & quo tempore, & quibus autoribus, inceperit hæc secta.

18. Tertio Ecclesia adhærens Romanis Pontificibus ab annis mille sexcentis vocatur catholica, & hoc nomine illam designant, & ab alijs sectis distinguunt Iudæi, Gentiles, & Mahometani: cætera Ecclesie vocantur Ecclesie Arrianorum, Nestorianorum, Lutherianorum &c. nec vnquam potuerunt obtinere, ut vocarentur catholicæ, ideoque ipsi hæretici, cum interrogantur à Iudæis, Mahometanis, & Gentilibus, quænam sit Ecclesia catholica, non audent suas Ecclesias ostendere. Vtitur hoc argumento Augustinus libro contra Epist. Fundamenti, cap. 4. Vtuntur, & alii Patres, quos refert Bellarminus lib. 4. de Ecclesia, cap. 4.

19. Opponunt sectarij, nos vocari Papistas. Sed primò solum ab hæreticis recentioribus, præsertim in Germania, vocamur Papistæ: in reliquo mundo etiam à Iudæis, Mahometanis, & Gentilibus vocamur Christiani, & ad distinctionem aliarum sectarum, vocamur catholici. Secundò hoc nomen Papistæ significat eos, qui ab annis mille sexcentis adhæserunt Petro, Lino, aliisque successoribus Petri, hoc est pastoribus à Christo constitutis; sed procul dubio nomen adhærentium pastoribus à Christo constitutis, & successoribus Petri, non est nomen rebellium, aut hæreticorum; ergo nomen papistarum non est nomen hæreticorum, & rebellium à Christo, sed solæ sectæ antipapistarum sunt sectæ rebellium, & hæreticorum, eo pacto, quo in regno nomen regionum non est nomen rebellium, sed solum nomen antiregionum est nomen rebellium.

20. Quarto Ecclesia adhærens Romanis Pontificibus non solum nomine, sed re ipsa est

est catholica, hoc est vniuersalis. Primo est vniuersalis tempore, cum à Christo sine vlla interruptione durauerit, & duret annis plusquam mille sexcentis; nulla alia secta est vniuersalis tempore, cum omnes incepterint post Christum. Secundò à Christo vsque ad tempora Lutheri ortæ fuerant sectæ circiter ducetæ præcipuæ, ac tempore Lutheri defecerant omnes, excepta secta Græcorum, & quorundam Nestorianorum, & Eutichianorum in Oriente, & quorundam Hussitarum in Occidente in angulo Bohemiæ. Tertio Ecclesia nostra est etiam vniuersalis quoad nationes, & loca: nam ab annis mille sexcentis diffusa est per omnes regiones, & nationes: at alia secta singulæ sunt in angulo orbis terrarum; sed veteræ Ecclesiæ Christi promissa est hæc diffusio per omnes regiones, & nationes; Ps. 22. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra: & Psal. 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum;* ergo sola nostra Ecclesia est Ecclesia Christi.

21. Quintò vera Ecclesia Christi est, cuius sectatores consentiunt, & semper consenserunt in fide; sed sectatores fidei catholice toto orbe terrarum diffusæ, in omnibus fidei dogmatibus consentiunt, & semper consenserunt, nec possunt non consentire, cum omnes sint parati credere id, quod summus Pontifex, & Ecclesia illi adhærens definiert; sectatores aliarum sectarum non consentiunt, nec vquam consenserunt; ergo &c. Probat minor: nam omnes alia secta vix ortæ diuisæ sunt in plures alias sectas; E. G. Arriani statim diuisi sunt in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos, Semiarianos &c. vt patet ex Rufino lib. 10. Hist. cap. 25, imò Arriani singulis annis fidem mutabant, vt scribit Hilarius vtroque libro ad Constantium. Eutichiani ita diuisi sunt, vt omnes ferè hæreses Orientis ortæ sint ex Eutichianis, vt scribit Euagrius lib. 3, & 4. Historiarum, & Damascenus libro de centum hæresibus; & superiori seculo Lutherani, & Calvinistæ diuisi sunt in plusquam centum sectas, & quotidie in plures alias diuiduntur, præsertim in Angliâ. Confirmatur; nam heretici non solum non consentiunt ad inuicem, sed neque iidem numero consentiunt sibi ipsis, siquidem modo dicunt vnum, & modo aliud, & sunt velut arundines vento agitate.

22. Opponunt: etiam inter catholicos diuersæ sunt opiniones Scotistarum, Thomistarum &c. ergo neque catholici consentiunt.

23. Respondeo primò omnes catholicos consentire in dogmatibus fidei, dissentire circa alia, quæ non spectant ad dogmata: Hæreticos autem dissentire in ipsis dogmatibus. Respondeo secundò catholicos virtualiter semper consentire, cum sint parati acquiescere iudicio, ac definitionibus Ecclesiæ; at hæretici cum nolint acquiescere iudicio, &

definitionibus Ecclesiæ, neque virtualiter consentiunt.

24. Opponi potest secundò, Schismaticos Græcos consentire in dogmatibus.

Respondeo Græcos in antiquis concilijs factos fuisse Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio, & admisisse in Concilio Chalcedonensi, & alijs Epistolam Cyrilli Alexandrini, in qua id profitebatur, idque idem admisisse, & factos esse in Concilio Florentino, subscribente Imperatore, Patriarcha, & Episcopis, vno, vel duobus exceptis, ac deinde fuisse reuersos ad vomitum, negando Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio; ergo soli catholici semper consenserunt quoad dogmata.

25. Sextò vera Ecclesia Christi est, quæ ab annis plusquam mille sexcentis semper floruit sanctitate, lumine prophetico, & gloria miraculorum, cum hanc gloriam miraculorum Ecclesiæ suæ promiserit Christus, dicens Marci ultimo; *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo demonia eicient, linguis loquentur nouis &c.* sed sola Ecclesia adhærens Romanis Pontificibus ab annis mille sexcentis, floruit, & floret sanctitate, lumine prophetico, & gloria miraculorum; ergo &c. Probat minor: nam à plurimis authoribus fide dignissimis narrantur multi, singulis his septemdecim sæculis, sanctitate, lumine prophetico, & miraculorum gloria floruisse; hos omnes constat adhæsisse Ecclesiæ, quæ paret Romanis Pontificibus. Constat etiam, nullum ex iis, qui se separarunt ab hac Ecclesia, obtinuisse gloriam sanctitatis, miraculorum, ac prophetiæ.

26. Possunt respondere sanctitatem fuisse simulatam, prophetias, & miracula fuisse conficta, vel præstigijs Dæmonum facta. Sed hæc reiecta sunt quæst. 124. in Resp. ad 1. & 2.

27. Confirmatur secundò; nam ex historiis ecclesiasticis constat authores aliarum sectarum fuisse viros scelestos, & superbæ præsertim vitio laborantes. Quales autem fuerint Lutherus, Calvinus, Henricus VIII. Rex Angliæ, & alij, qui superiori seculo nouas sectas inuexerunt, nemo est, qui ignoret. Constat rursus illos, qui se hæreticis opposuerunt, & pro fide catholica, & Romana pugnarunt, fuisse viros sanctissimos, quales fuerunt Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Hieronymus, insitutores ordinum religiosorum &c.

28. Confirmatur tertio: nam in Græcia, Angliâ, aliisque regionibus nunc hæresi infectis, dum paruerunt Romanis Pontificibus, semper fuerunt plurimi, qui sanctitate, dono prophetiæ, & miraculis supra modum claruerunt; postquam autem per schisma, & hæresim separarunt se ab Ecclesia, quæ paret Romanis Pontificibus, nullus ex iis, qui se separarunt, omnino fuit, qui floruerit sanctitate, dono prophetiæ, & gloria miraculorum.

29. Septimò vera Ecclesia Christi est, in qua

qua semper fuerunt viri, qui Apostolorum more viuentes, & prædicantes Euangelium, potuerunt conuertere infideles, præsertim gentiles ad Christum; sed in Ecclesia, quæ adhæret Romanis Pontificibus ab annis mille sexcentis, semper fuerunt viri, qui Apostolorum more viuentes, legitime missi, & prædicantes Euangelium, potuerunt conuertere infideles, præsertim gentiles, ad Christum; in cæteris scdis fuerunt quidem multi, qui peruerterent christianos, eosque traherent ad suas hæreses, nullus fuit, qui prædicans Euangelium Apostolorum more conuerterit infideles ad Christum; ergo &c. Probat minor: nam ex innumeris gentibus, quæ septemdecim post Christum sæculis ad fidem christianam sunt conuersæ, nulla est, quæ non fuerit conuersa à Prædicatoribus catholicis, qui parebant Romanis Pontificibus, vt ex historijs Ecclesiasticis manifestè probat Thomas Bosius lib. 6. de Signis Ecclesiæ, cap. 1. 2. & 3. & confessione Centuriatorum hæreticorum, confirmat Bellarminus lib. 4. de Ecclesia, cap. 12.

30. Confirmatur: nam Angli cum Romanis Pontificibus paruerunt, per sanctum Bonifacium, & alios conuerterunt ad Christum plures populos Germaniæ; Græci, dum tempore Basilij Imperatoris Romanis Pontificibus adhærebant, conuerterunt Russos, Moscos, aliasque nationes: postquam autem per hæresim, & schisma se à Romanis Pontificibus separarunt, nullam nationem infidelium conuertere potuerunt; quia nimirum palmes separatus à vite non potest amplius producere vllum fructum.

31. Confirmatur secundò; nam sæculo superiori post ortas sectas Lutheranorum, Caluinistarum, & aliorum, qui se reformatos appellant, ex catholicis Romano Pontifici parentibus plurimi Apostolorum more peregrinati sunt ad Orientales, & Occidentales Indias, & ad alias regiones infidelium, & quotidie peregrinantur, & innumeras nationes ad Christum conuerterunt, ac conuertunt. At hæretici nauigarunt ad illas regiones solius lucri gratia, non autem Euangelij causa, nec vllas nationes ad Christum conuerterunt.

32. Addit Thomas Bosius in Ecclesiasticis historijs versatissimus lib. 6. de Signis Ecclesiæ, cap. 5. *Vniuersi hæretici ab Ecclesia Christiana constitutione per tot sæcula, per annos mille quingentos, & amplius, haud traduxere ad hæses suas tot gentes, aut Idololatrias, aut alioquin à Christi cultu alienas, quot vnus Xauerius ad Christi cultum annis vndecim. Quod autem protuli de Xauerio, possem de multis alijs narrare. Vincentius Ferrerius Iudeorum viginti quinque millia ad Christum perduxit. Perlege omnes historias, ab omnibus hæreticis non inuenies ab ortu Ecclesiæ Christiana tot millia Iudeorum Christo conciliata. Quod autem hæretici possint quidem catholicos peruertere, non autem Gentiles, Iudeos, aliosque infideles conuertere ad Christum, notauerat ante annos*

plusquam mille trecentos Tertullianus lib. de Præscriptionibus Hæreticorum, dicens. *De verbi administratione quid dicam? cum hoc sit negotium illis, non ethnicos conuertendi, sed nostrum euertendi. Nostra effodiunt, vt sua edificent.*

33. Opponi potest: Arriani tempore Valentis Imperatoris totam gentem Gothorum à paganismo ad fidem Christianam conuertunt, vt refert Prænulphus in Chronico tom. lib. 4. cap. 20.

34. Respondet Bellarminus lib. 4. de Ecclesia, cap. 12. Gothos ab Arrianis non fuisse conuersos, sed deceptos. Cum enim Gothiam sub Romani imperij auspicijs militarem, & audita fama religionis christianæ, ad Christum vellent conuerti, Valens Imperator Arrianus misit ad Gothos instruendos quosdam Episcopos Arrianos, qui loco religionis catholicæ Arrianam hæresim illis propinarunt. Addit ex Socrate lib. 4. cap. 32. Sozomeno lib. 3. cap. 36. Theodoro lib. 4. cap. ultimo, constare magnam Gothorum partem fuisse prius Christianam, & catholicam, ac deinde ab Arrianis ad suam hæresim traductam.

35. Ad 1. nego maiorem. Vt ostendamus euidenter religionem catholicam esse præsertim credendam, non requiritur, vt postmodum ostendamus nullum dogma in ea traditum esse contrarium veritati, sed sufficit, vt non habeamus euidentiam, neque probabilitatem, de hoc, quod aliquod dogma in religione catholica traditum sit contrarium veritati; sed non habemus euidentiam, neque probabilitatem, quod aliquod dogma traditum in religione catholica sit contrarium veritati, immo argumenta, quæ ab infidelibus, & hæreticis afferuntur contra nostra dogmata, comparatione rationum, quibus suaderetur religio catholica, apparent euidenter contemnenda. Ergo &c. Addo, quod vt argumenta contra nostra dogmata sint euidenter contemnenda, non requiritur, vt sciamus ea directe solueri eo pacto, quo, vt subditi, præsertim simpliciter, cognoscant euidenter se debere obedire suis principibus, & contemnere argumenta quæ à rebellibus, vel ab alijs afferuntur contra legitimam potestatem suorum principum non requiritur, vt sciant ea directe solueri. Addo secundò, quod argumenta contra nostra dogmata sunt euidenter solubilia, ac de facto soluta sunt, & solvuntur à doctis. Ad tertio fundamēta religionis catholicæ obligare nos ad credendum ante examen speculationum singulorum dogmatum in particulari, ideòque non excusari infideles, & hæreticos dum dicunt, se non amplecti religionem catholicam, quia adhuc non examinarunt singula dogmata ipsius. Examen enim speculationum singulorum dogmatum in particulari requirit multum temporis, ex quo fit, vt dum tales hæretici, & infideles versantur in hoc examine speculativo, moriantur in sua infidelitate, & hæresi. Eadem fundamenta religionis catholicæ reddunt illicitum ex-

men præticum dogmatum, ac solum relinquunt licitum examen merè speculatiuum. Ratio est, quia argumenta pro religione catholica ostendunt euidenter prudenter quiescendum esse in religione catholica sine ulla suspitione de ipsius falsitate, etiam quoad singula dogmata particularia: sed examen præticum est, quo aliquid examinamus cum aliqua suspitione falsitatis, ac proinde parati illud negare, si inueniamus esse falsum; ergo argumenta pro religione catholica reddunt illud licitum examen præticum, ac solum relinquunt licitum examen purè speculatiuum, quo examinamus dogmata, antecedenter certi de eorum veritate, vt eandem veritatem distinctius cognoscamus, & possimus defendere, ac persuadere, & explicare alijs.

36. Ad 2. nego maiorem. Argumenta enim allata probant amplectendam esse religionem, quæ ab annis plusquam mille sexcentis adhæret Romanis Pontificibus; sed hæc religio inter cætera dogmata semper docuit, & docet eos, qui in quæstionibus fidei nolunt acquiescere iudicio Ecclesiæ, habendos esse vt ethnicos, & de facto ab annis plusquam mille sexcentis semper habiti sunt vt ethnici, iuxta illud Christi Matth. 18. *Si Ecclesiam non ediuerit, sit tibi velut ethnicus*, & iuxta illud Apostoli ad Tit. 3. *Hæreticum hominem denota*; ergo non solum qui nolunt Ecclesiæ acquiescere quoad dogmata Trinitatis, Incarnationis &c. sed etiam qui nolunt acquiescere quoad quodcuque aliud dogma, habendi sunt vt ethnici.

37. Infertur hæreticos formales esse, qui nolunt acquiescere Ecclesiæ in aliquo dogmate: eos autem, qui parati sunt acquiescere Ecclesiæ, posse quidem errare in rebus fidei, sed non posse esse hæreticos formales. Puri Schismatici sunt, qui licet consentiant Ecclesiæ catholicæ quoad omnia dogmata, tamen se ab illa separant, & nolunt communicare cum catholicis. Potest autem dari schisma sine hæresi, licet schisma, dum durat, degeneret in hæresim: ex. gr. Donatistæ ab initio fuerunt solum schismatici, deinde inciderunt etiam in hæresim. Cum enim Cæcilianus legitime factus fuisset Episcopus Carthaginensis, quidam Episcopi Africani noluerunt illum recipere vt Episcopum, eo prætextu, quod non fuisset legitime electus. Cum autem ab Ecclesia declaratum fuisset Cæcilianum fuisse legitime electum, non solum noluerunt acquiescere Ecclesiæ, ac recipere Cæcilianum, sed se separarunt ab Ecclesia, & à communione Episcoporum catholicorum, & Romani Pontificis, & sic facti sunt schismatici. Deinde inciderunt in hæresim, docentes baptizatos ab hæreticis, & schismaticis cum debita materia, forma, & intentione, non esse valide baptizatos, ac proinde rebaptizandos, & in hoc dogmate noluerunt acquiescere iudicio Ecclesiæ.

38. Ad 3. concedo, quod apud fideles,

non solum doctis, sed etiam indoctis euidentis est solam religionem christianam, & catholicam esse prudenter credibilem, & credendam. Ratio est, quia etiam simplices, & indocti, non quidem ex lectione librorum, sed ex fama constanti sciunt, in Christo, & in religione christiana impleta esse, quæ de Messia, & de religione credentium in Messiam fuerant multo ante Iudæis promissa, & prænunciata: sciunt ex eadem fama Iudæorum regnum fuisse euersum, quia Iudæi noluerunt Christum recipere, vt Messiam, sed illum crucifixerunt; sciunt, & ex parte vident Iudæos ab annis mille sexcentis fuisse dispersos inter gentes, & contemni, atque irrideri ab omnibus gentibus, & ab ipsis pueris, vt crucifixores Christi: sciunt ab Apostolis, eorumque successoribus plurimas nationes à cultu idolorum conuersas fuisse ad Christum, & christianam religionem propagatam fuisse per miracula, & martyria: sciunt etiam ethnicismum repugnare lumini naturæ, ac Deos gentilium fuisse sceleratissimos; Mahometanismum fuisse propagatum sine miraculis, ac laxare fræna licentiæ, & esse sectam plenam stoliditatis, ac turpitudinis &c. sed hæc notitia ex fama constanti sufficit ad hoc, vt simplices, & indocti cognoscant euidenter christianam religionem posse, ac debere prudenter credi, alias sectas non posse, nec debere prudenter credi; ergo &c. Rursus apud catholicos, etiam simplices, & indocti ex fama constanti sciunt religionem catholicam sub Romanis Pontificibus Vicarijs Christi, & successoribus Petri fuisse propagatam, & conseruatam annis plusquam mille sexcentis, & miraculis semper confirmatam, & per omnes gentes diffusam, in eaque semper fuisse viros sanctissimos; cæteras sectas incepisse post Christum, ac se separasse ab Ecclesia catholica, ac nullis miraculis fuisse confirmatas, nec in ijs extitisse viros sanctos; sed hoc sufficit, vt cognoscant euidenter religionem catholicam posse, ac debere prudenter credi, cæteras sectas non posse credi, nisi imprudenter; ergo &c. Addo Deum, qui vt dicitur Io. 1. *illumina omnem hominem venientem in hunc mundum*, per internas etiam illuminationes facere, vt simplices, & indocti acquirant hanc euidentiam.

39. Proportionaliter dico, quod apud infideles, & hæreticos, vt plurimum non solum docti, sed etiam indocti identidem, ac veluti per lucida interualla cognoscunt euidenter se non posse prudenter quiescere in suis sectis, sed obligari ad examinandum, quænam sit vera religio. Ratio est, quia cum atheismus, & ethnicismus repugnent lumini naturæ, fama autem religionis christianæ colentis vnum Deum propagata sit apud omnes gentes, iuxta illud Psalmi relatum ab Apostolo ad Rom. 11. *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum*, impossibile est, vt qui ratione vrantur, saltem identidem non cognoscant euidenter se non posse prudenter quiescere

scere in atheismo, ethnicismo, vel philosophismo, sed obligari ad ulteriorem inquisitionem veræ religionis, præsertim cum Deus internis illuminationibus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum. Iudæi etiam, cum videant se ab annis mille sexcentis à Deo derelictos, Christianos autem toto orbe terrarum diffusos florere fama sapientiæ, sanctitatis, & miraculorum, impossibile est, vt identidem non cognoscant euidenter, se non posse prudenter quiescere in Iudaismo, sed teneri ad examinandum, vtrum prudenter credi debeat Christum fuisse verum Messiam, Mahometani cum non audiant afferri vlla miracula, vel vaticinia in confirmationem Mahometanismi; audiant autem fama constanti apud ipsos etiam recepta christianam religionem fuisse confirmatam vaticinijs, & miraculis, impossibile est, vt identidem non cognoscant euidenter, se non posse prudenter quiescere in Mahometanismo, sed obligari ad vltius inquirendum, vtrum religio christiana sit præferenda?

40. Apud hæreticos, & schismaticos etiam indocti sciunt suas sectas esse novas, nullisque miraculis confirmatas; audiunt autem ex fama constanti, quàm antiqua, quàm longè, latèque diffusa sit religio catholica, & quam multi in ea floruerint, & floreat gloria sanctitatis, & miraculorum, ideoque impossibile est, vt identidem non cognoscant euidenter, se non posse prudenter quiescere in suis sectis, sed teneri ad examinandum, vtrum catholica religio debeat præferri. Iam verò si infideles, & hæretici etiam simplices, & indocti, prout identidem obligantur, examinent, quanam sit vera religio, Deo interius illuminante, ita penetrabunt motiua religionis catholicæ, vt cognoscant euidenter, solam religionem christianam, & catholicam prudenter credi posse, ac debere.

41. Infertur paucos esse adultos infideles, hæreticos, & schismaticos purè materiales, ita vt vivant separati ab Ecclesia catholica, & tamen toto vitæ tempore excusentur à peccato infidelitatis, hæresis, aut schismatis. Ratio est, quia ex dictis adulti infideles, hæretici, ac schismatici identidem cognoscunt euidenter, se non posse prudenter quiescere in suis sectis, sed teneri ad inquirendum, quanam sit vera religio. Si igitur non inquirunt, peccant peccato infidelitatis, hæresis, & schismatis, adeoque euadunt formaliter infideles, hæretici, ac schismatici. Si inquirunt, vt debent, à Deo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & Lucae 11. promisit, *querite, & inuenietis*, illuminantur ita, vt cognoscant euidenter, solam religionem catholicam posse, ac debere prudenter credi, ideoque si credunt, iam fiunt catholici, si non credunt, peccant peccato infidelitatis, & euadunt formaliter infideles, hæretici, aut schismatici.

42. Quæri potest, vtram in quolibet, ad hoc, vt credat fide diuina, requiratur, vt co-

gnoscat euidenter religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam? Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia vt credamus certissimè, & super omnia, & fide diuina, voluntas, qua volumus certissimè credere, debet esse prudens, & firmissima, ac non fluctuans; sed vt voluntas credendi sit prudens, & firmissima, ac non fluctuans, fundari debet in cognitione, qua euidenter, & non solum probabiliter, & fluctuante iudicamus, religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam; ergo &c. Probat minor: nam voluntas fundata in cognitione solum probabili, & fluctuante, etiam ipsa est quodammodo fluctuans; ex.gr. qui sumit medicinam, probabiliter, & fluctuante iudicatur illam esse vtilem ad sanitatem, medicinam sumit voluntate fluctuante, & paratus non sumere, si cognosceret talem medicinam esse inuilem ad sanitatem; ergo qui solum probabiliter iudicat religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, vult credere voluntate fluctuante, & paratus non credere, si cognoscat religionem nostram non esse credendam; ergo vt firmissimè velimus credere, requiritur, vt euidenter, ac non solum probabiliter iudicemus, religionem nostram esse credendam.

43. Nec opponas, cognitionem, que iudicamus esse credendum, posse esse certam, & ineuidentem. Nam contra est primò: sola enim cognitio fidei potest esse certa, & ineuidentis; sed cognitio, qua iudicamus esse credendum, non est actus fidei, sed est cognitio natura præcedens actum fidei, & ipsam voluntatem credendi; ergo non potest esse certam nisi sit euidentis. Secundò cognitio ineuidentis potest esse certa solum ex imperio firmissimo voluntatis; sed imperium voluntatis, vt sit firmissimum, debet fundari in cognitione certa, quæ cognitio, nisi sit euidentis, fundari debet in alio imperio voluntatis; ergo vel proceditur in infinitum, vel sistendum est in aliqua cognitione, qua non solum certò, sed etiam euidenter cognoscamus esse credendum.

44. Infertur eos, qui non euidenter, sed solum probabiliter cognoscunt religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, posse quidem credere aliqua fide humana, sed non posse credere fide diuina, firmissima, & super omnia. Infertur rursus eos, qui solum probabiliter existimant aliquid esse de fide, non posse illud credere super omnia.

45. Potest secundò quæri, vtrum cognitio, qua cognoscimus euidenter nos posse, ac debere credere, semper sit supernaturalis?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia cognitio per se ordinata ad fidem, & salutem, est supernaturalis, ac proinde ex auxilio gratiæ, & ex illuminatione Spiritus Sancti; sed cognitio, qua cognoscimus euidenter religionem christianam, & catholicam esse prudenter

ter credibilem, & credendam, est per se ordinata ad hoc, vt credamus, & vt credentes, & secundum fidem viuentes, obtineamus salutem; ergo &c.

46. Confirmatur: nam cognitio procedens ex principijs, & causis à diuina prouidentia per se ordinatis ad cauendum in nobis effectum, non naturalem, sed supernaturalem, est supernaturalis; sed cognitio, qua cognoscimus nostram religionem esse prudenter credibilem, & credendam, causatur à diuinis reuelationibus, & miraculis ex fama nobis notis; reuelationes autem, & miracula à diuina prouidentia ordinata sunt ad hoc, vt per famam, causent in viatoribus cognitionem, non naturalem, sed supernaturalem de credibilitate, nostra religionis; ergo cognitio, qua cognoscimus euidenter, religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, est supernaturalis. Et quia ad cognitionem supernaturalem eliciendam non sufficiunt vires nature, sed requiritur internum auxilium, gratiæ, & interna illuminatio Spiritus Sancti, ideo talis cognitio procedit ex interno auxilio gratiæ, & ex interna illuminatione Spiritus Sancti, quam propositis motiuis externis, Deus non denegat vlli viatori. In dæmonibus, ac damnatis cognitio, qua cognoscunt religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, non est supernaturalis, quia non procedit ex auxilio gratiæ, sed solum ex naturali lumine intellectus, ideoque est prorsus inutilis ad salutem.

47. Potest tertio quæri, vtrum actus, quo cognoscimus religionem nostram esse prudenter credibilem, & credendam, procedat ab habitu fidei, vel ab alio habitu supernaturali?

Respondeo probabilius esse, quod non procedat ab habitu supernaturali fidei, sed ab alio habitu annexo ipsi fidei, & qui sit etiam supernaturalis, vt docet Suarius disp. 4. de Fide, sect. 6. Cardinalis de Lugo disp. 5. sect. 3. alijque apud ipsos, contra Caietanum, & quosdam alios. Ratio est, quia per habitum fidei theologice non possumus vlli obiecto assentiri, nisi propter summam veracitatem Dei reuelantis, eo pacto, quo per habitum charitatis non possumus quidquam velle, nisi propter summam bonitatem Dei; sed cognitio euidentis, qua iudicamus nostram religionem esse prudenter credibilem, & credendam, non habet pro obiecto formali summam veracitatem Dei reuelantis, alioquin cum reuelatio sit obscura, non esset euidentis, sed obscura; ergo &c.

48. Obijcitur S. Thomas 2.2. quæst. 1. art. 4. ad 3. dicens, quod lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur, & art. 5. ad 1. dicens, medio lumine fidei videri obiecta nostræ religionis esse credenda.


Respondeo ea, quæ videntur per lumen, & habitum annexum fidei, dici posse, quod videntur per lumen fidei, eo pacto, quo quia

Aristoteles 6. Eth. c. 9. ponit tres habitus annexos prudentiæ, actus benè consultandi, qui actus procedunt ab habitu consultatio annexo prudentiæ, dicuntur procedere ab ipsa prudentia.

49. Ad 4. nego maiorem. Vt enim supra dictum est, & pluribus exemplis confirmatum, & infra ex professo explicabitur, multo plus requiritur ad probandum euidenter aliquid esse verum, quam ad probandum euidenter, aliquid esse prudenter credibile, & credendum; ergo non est mirum, quod argumenta probantia euidenter nostram religionem esse prudenter credibilem, & credendam, non probent euidenter nostram religionem esse veram. Vide quæ de hoc dicentur quæst. 128. in resp. ad 11. num. 28. & sequentibus.

TRACTATUS XIV.

De certitudine, obscuritate, & necessitate fidei.

**I.**  VIA fides est assensus certus, & obscurus rebus à Deo reuelatis, tanquam obiectis materialibus, propter summam Dei reuelantis veracitatem, tanquam propter obiectum formale, postquam egimus de obiecto materiali, & formali, ac de vltima resolutione fidei, sequitur, vt agamus de ipso actu fidei, & præsertim de eius certitudine, obscuritate, libertate, & necessitate.

QUÆSTIO CXXVII.

Quid, & quoruplex sit certitudo, & euidentia: & vtrum possint mutuo, vel non mutuo separari?

1. Videtur certitudo non posse dari sine euidentia: primò quia certitudo naturalis non potest esse sine euidentia, ideoque nullus actus naturalis potest esse certus, quin sit etiam euidentis; ergo etiam certitudo supernaturalis non potest esse sine euidentia, ac proinde neque actus supernaturalis potest esse certus, quin sit etiam euidentis.

2. Secundò effectus non potest esse sine sua causa, à qua necessariò pendet; sed certitudo est effectus necessariò pendens ab euidentia; nam ideo obiectis assentimur certò, quia videmus, hoc est euidenter cognoscimus, quod apparentiæ, quam de illis habemus, non potest subesse falsum; ergo &c.

3. Resp. quod quia non solum actus, sed etiam obiecta dicuntur, vel certa, & euidentia, vel incerta, & obscura, datur certitudo, & euidentia tum obiectiua, tum formalis. Certitudo